[illegible] Onuphrius natus 175[illegible]
Profess. 1770 Sacerd 177[illegible]

1mo. Pro Anima [illegible]: M[illegible]
2do. Pro Eadem anim[illegible]
3tio. Pro Anima Angela [illegible]
[illegible]
1mo. Pro Anima [illegible]
2do. Pro Anima [illegible]
3tio. Pro Anima [illegible]
4to. Pro Anima Guilelmi
5to. Pro Anima [illegible]

Sprawonki teraznieysze
ımo Jęczmınnikowi dwie Pit-
Ki iedna Zokiel zga to-
Kiec y Cwier.
zdo Na Walkę pitkę
zti Matusowi Osmik.

DIES BENEDICTI
à DOMINO
IN HEBDOMADA SANCTA,
Vitæ Religioso Monasticæ
SOLI DEO SACRIFICANDI.
Benedictis à Domino
DEDICATI.
ac
TYPIS ILLUMINATI.
seu

Orationes selectæ, DEO gratissimæ, sive mentaliter, sive vocaliter exercendæ, ex Rev: SS. VV, Gertrudis & Mechtild: cum adjecto modulo colendi SS. P. N. BENEDICTUM & S. M: Scholasticam, *cæterosq; Ordinis sui Patronos. per Septimanam ordine disposita.*

Studio & labore devotissimo R. P. HYACINTHI JABŁONSKI, Ord S. P. BENEDICTI Calvomontani Archicænobij Presbyteri, Præpositi p t. c. ad S. Michaelē in Słupia.

Cum licentia Superiorum.

Annô quô Benedictus ante sæcula diem dedit sæculo. 1735.

Crac: Typis Jacobi Máryaszkiewicz S. R. M. Celsiss: Jll: & Rev: D. Ep. Crac; Duc; Severiæ Ordinarij Typographi.

Qui diligit Deum orabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione Dierum exaudietur. Ecclesi: 3.

Vigilate, & orate ne intretis in tentationẽ: monet Christus Dominus. Matth: 26.

Stude semper expendere tempus tuum, aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione, aut in servitiis; non enim cessat orare, qui non cessat benefacere.

S. Bonaventura.

Quando fidelis & humilis, & fervens oratio fuerit, Cælum sine dubio penetrabit. S. Bernardus.

PRODROMUS
BENEDICTINÆ DIEI
Seu
Intentiones Generales.
Pro ſingulis diebus applicandæ
DIE DOMINICO.

IN Honorem SS. TRINITATIS Ejus Providentiæ D. N. JESU Chriſti Reſurectionis. In honorem B. V. MARIÆ ut Sponſæ Æterni Patris ejuſq; Immaculatæ Conceptionis.

In Cultum SS. Joannis Baptiſtæ Evangeliſtæ. 3. *Regum*.

Cujus Feſtum vel quorum triumphans & militans colit Eccleſia, & omnium Pátriárcharum, Prophetarum, Innocentium antiqui, & novi teſtamenti.

In gratiarum Actionem pro donis naturalibus, & ſupernaturalibus, Cre-

atione, illuminatione, & conservatione:

Pro tota Ecclesia, statu Ecclesiastico; maxime qui curam animarum habent, viris Apostolicis pro fidei dilatatione, & conversione Hæreticorum, Schismaticorum pro Christianorum Principum concordia. Pro populo afflicto, ægris, tentatis, agonizantibus, maxime in gravi periculo animæ,

Pro impetranda gratia S. Spiritus, pro perfectione Fidei, Spei. Charitatis, obtinenda pro desiderio Cælestis Patriæ consequendo pro dono Orationis, & familiaritatis cum DEO consequendæ, &c. &c.

DIE LVNÆ.

IN Honorem dulcissimi Nominis JESU B. V. MARIÆ Nativitatis &c.

In Cultum SS. Angelorum Michaelis Gabrielis, Raphaelis Custodum S. Romanæ Ecclesiæ, Patriæ, Ordinis, Congregationis, Communitatis,

Supe-

Superiorum, Officiorum, Locorum, Amicorum, Benefactorum, Subditorum & omnium, &c.
Tum SS. Josephi, Dismæ, Laurentij, Ursulæ, Barbaræ, Luciæ, &c.
Quorum, vel cujus Festum triumphans & militans colit Ecclesia.
Pro Animabus maxime desertis, quæ nullum in particulari Suffragium habent. Pro animabus Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, Affinium, Benefactorum, Amicorum, inimicorum in Confraternitatibus, & Sodalitatibus mecum existentium, Maxime pro quibus vult me orare S. Mater Ecclesia, pro Prælatis, & qui salutem animarum curabant, & à me exigunt auxilium, vel mei occasione purgantur, & quæ ex Judicum sententia transierunt, & pro quibus scit me DEUS & vult orare.
Pro felici morte, in hora mortis, pro vera contritione, pura Confessione, Viatico & plenaria Satisfactione, &c.

Et pro omnibus infirmis, agonizantibus, maxime amicis, &c. & in periculo animæ.

Pro impetrandâ S. voluntate circa me & omnia mea, de me, pro me, quã in tempore, quam in æternitate, etiam in omni creatura, pro perfecta sui resignatione.

DIE MARTIS.

IN Honorem D. N. JESU Christi vocantis Apostolos, Discipulos B. MARIÆ Patronæ omnium Religiosorum; Ejusq; Præsentationis Oblationis Septem Gaudiorum.

In cultum S. Annæ, Joachim totius Sacræ Familiæ, &c.

SS. P. N. BENEDICTI, Mauri, Placidi, Bernardi, &c. Erasmi, Martini, Emerici, &c.

Omnium Patriarcharum. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Eremitarum Ordinis Nostri, & quorum Festum triumphans & militans colit Ecclesia.

Pro Alma gloria SS. P. BENEDICTI Ordi-

Ordinis dilatatione, Congregationis, & Communitatis necessitatibus, Superioribus, Fratribus, Sororibus, Benefactoribus, Amicis, inimicis, subditis, Philadelphicis, Devotis; bona desideria, & proposita habentibus.

Pro Perseverantia in Statu obtento; conversione morum meorum, pro virtutibus statui meo necessarijs, pro victoria tentationum, & mortificatione passionum; pro felici morte.

DIE MERCVRII.

IN honorem D. N. JESU jejunantis & B. V. MARIÆ summæ abstinentiæ, &c.

SS. MM. Scholasticæ, Gertrudis, Mechtildis, Idæ &c. Omnium Virginum & Martyrum, tum Ecclesiæ & Ordinis Nostri & Quorum Festum triumphans & militans colit Ecclesia.

Ad intentionem Superiorum, & omium Fratrum præsertim Mona-

sterij, & pro ejus necessitatibus, Superioribus, Fratribus, Benefactoribus, Amicis, Philadelphicis, Inimicis, subditis, injuriatis:

Pro impetrando dono Castitatis, & puritatis, pro præcavendis occasionibus, & omnibus in castitate manentibus, pro humilitate & pro alijs bonis operibus.

DIE IOVIS.

IN honorem & memoriam D. N. JESU Christi in SS. Sacramento præsentis. in gratiarum Actionem pro omnibus Sacramentis.

B. V. MARIÆ specialissimæ Reparatricis omnium irreverentiarum huic Ss. Sacramento a me & omnibus factarum.

In Cultum SS.

Joannis Nepomuceni &c,

Omnium Confessorum in triumphanti & militanti Ecclesia, maxime ignotorum, & quorum Festum.

Pro omnibus Consanguineis, Fratribus

tribus, Sororibus, cognatis, Benefactoribus; Præceptoribus, amicis, inimicis, & pro quibus teneor, vel apromisi orare in sodalitate mecum existentibus.

Pro populo afflicto, ægris agonizantibus, &c.

DIE VENERIS.

IN memoriam Amarissimæ Passionis D. N. JESU Christi, SSmi Cordis ejus.

Dolorum B. V. MARIÆ.

In cultum SS. Petri & Pauli, Andreæ, Judæ Thadæi, M. Magdalenæ, Theophili, Mariæ Ægypciacæ, Jacobi, Bonifacij, Pelagiæ &c. In gratiarum Actionem pro copiosa Redemptione.

Pro impetranda memoria Passionis D. N. J. C. Dolorum B. V. M.

Pro peccatis eorum, qui in eminentia aliqua sunt positi, pro tentatis dãnificatis, scandalizatis pœnitentibus, & ijs qui versantur in periculo æternæ damnationis.

Pro perſeverantia Juſtorum, majoriq; profectu perfectorum. Pro patientia, & tolerantia in adverſis, & mortificatione ſenſuum meorum.

DIE SABBATI.

IN memoriam D. Sepulturæ B. V. MARIÆ Gaudiorũ & Cordis Ejus, pro impetrãdis decẽ Virtutib9 B. V.

In Cultum SS. Patronorum Regni, Adalberti, Staniſlai, Hyacinthi, Caſimiri; Venceſlai, &c. Omnium Eorũ quorum Corpora in Monaſterijs Ordinis Noſtri requieſcunt, vel Reliquiæ coluntur. Et omnium Eorum, quorum Cultus ab hæreticis eſt devaſtatus.

In Cultum SS. Virginum Conjugatarũ Electarũ. In cujus v. quorũ Feſtũ &c.

Pro Statu Reipublicæ Polonæ, Regno, concordia univerſæ Nobilitatis, Ordini & Congregationi faventibus, & alijs.

BONVM MANE
SEV
PRECES MATVTINÆ & DIVRNÆ.

Domine labia mea aperies, &c. DEUS in adjutorium meum intende cum Gloria *ex præscripto S. P. N. Benedicti:*

Manè cum surgis ajebat Christus ad B. Mechtild: Saluta primo; Cor meum & offer tuum. l. 3, c. 16.

ADoro, laudo, & saluto Te, dulcissimum & vernans Cor JESU Christi, ex quo tanquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum, omnisq; dulcedo effluxit. Et ex totis viribus cordis mei, ago tibi gratias, quod me hac

nocte custodieris, DEO Patri pro me laudes. & gratiarum Actiones persolveris. Et nunc ô dulcis Amor meus, offero tibi miserum, & indignum cor meum in sacrificium matutinum; & omni quâ possum devotione includo, & commendo illud dulcissimo Cordi tuo: rogans, ut divinas tuas influxiones illi infundere, atq; Sancto tuo amore accendere digneris. Amen.

Per efficaciam sequentis Orationis nunquam homo sic graviter delinquet. ut non facilius ad pœnitentiam redire possit. S. Ger: l. 3. c. 30.

Pie JESU, in unione amoris illius, quo in Cruce Patri Spiritum commendasti, commendo tibi spiritum & animam meam, atq; in Sacratissimum Vulnus dulcissimi cordis Tui includo, ut in eodem ab omnibus inimici insidijs protegantur. Tu nosti bone JESU, & ego satis experior, quam

quam infirmus & labilis sim, adeo ut nec ulla horâ sine tua speciali gratia in bono persistere, aut ulli tentationi ex me resistere possim. Ideò rogo per reverentiam unionis illius, quâ humanitas tua causa glorificationis nostræ venerandæ Trinitati unitur, ut voluntatem meam unire, & ne contra te insurgere queat, confortare digneris. In unione innocentissimorum membrorum tuorum commendo, tibi singula membra corporis mei cum omni motu suo, ut hâc die nunquam nisi, ad laudem & gloriam tuam, & propter amorem tuum commoveantur. Amen, *Ger: l. 5.*

SUSPIRIUM AD JESUM.

S. Metht: ajebat Christus, quod quicunq; de manè sic ad me suspiret, Ego eâdem die omnia opera in ipso perficiam, & propior mihi fiet quam ante fuerat.

AMantissime JESU, hoc primum hujus diei suspirium, defundo

cordis mei haustum, mitto ad te ex omnibus viribus meis rogans. ut hac die omnes corporis, & animæ meæ actiones, per Te ipsum in me operari, easdemq; in Corde Tuo dulcissimo emendatas, unà cúm perfectissimis operibus tuis DEO Patri in laudem æternam offerre digneris. Am:

INTENTIO MATUTINA.

B. Gertr: *Christus ajebat: quod illa opera quæ fiunt purè ex solo amore laudis Dei, multo majoris sunt meriti & dignitatis.* l. 4. c. 16.

DOmine DEUS, propter temetipsum mihi propono hodie & quotidie. omnes meas internas & externas actiones, pure ad laudem tuam, & ad salutem universitatis perficere, tali intentione & modo, quem Tu DEUS meus adinvenire, & optare potes: & in unione amoris illius, quo Filius Tuus de cœlo descendit, & omne opus humanæ redemptionis, ma-

ximè tempore Passionis suæ perfecit. Unde omnino abrenuntio omni merito, præmio & gratiæ, quæ per illa opera possem adipisci, ut possim tibi DEO meo laudem, & amoris exhibitionem offerre. Amen.

Pactum cum DEO.

DEUS Omnipotens, ex amore & desiderio te hâc totâ die laudandi sanctifico, dico & consecro tibi omnes pulsus, & motus cordis, & omnium arteriarum mearum, hocq; pactum tecum ineo quod omnes eorum motus idem significent quod hæc verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Quam significationē præfatis motibus inditam velim, adèo quòd à tua divina Majestate per eosdem idem intelligatur, quantum intelligitur per illud Cœleste canticum à Seraphinis decantatum, Fiat fiat, Amen.

S. Gre-

S. Gregorij P. M. O. N.

HOdie fronti meæ impono vexillum ✠ Fidei, Signum ✠ Victoriæ Titulum ✠ triumphalem Christi Salvatoris, Regis Gloriæ, Regis Judæorum. Filius B. MARIÆ Virginis pro nobis sub Pontio Pilato Crucifixus, dignetur me hodierna die liberare ab omni perturbatione mentis & corporis, tum vexatione dæmonū, & nequam hominum potestate, inimicorum visibilium & invisibilium; per acerbissimam mortem suam Sanctam Resurectionem & Ascensionem suam.

Oratio ad S. Cujus Festum colitur.

VEneror & saluto te, o Beatissim: N. per dulcissimum Cor JESU Christi; & ex animo tibi gratulor illum honorem, quo hodierna die mortis tuæ, à DEO & tota cœli Curia es affectus. In augmentum gaudij & gloriæ

gloriæ tuæ offero tibi id ipsum superdignissimum Cor JESU Christi, rogans, ut Deum pro me exorare, mihique in morte mea assistere digneris. Amen.

Suspiria ante Orationem.

Christus D. B. Mechtildi l. 4. c. 22. *dixit, cum me desideras laudare, nec id pro tuo desiderio perficere potes dic,*

O bone JESU laudo te; & quod mihi in tua laude deficit digneris supplere pro me.

Eidem S. Mechtildi dicebat Christus, ut quandocunque iret ad Chorum, vel inciperet horas aut alias preces semper diceret sequentes versus, & certò crederet, Deoq; consideret illud opus quod tunc perageret nunquam perire posse. l. 2. c. 17.

SAnctissime Pater in unione amoris dilectissimi Filij Tui commendo Spiritum meum.

Domine JESU, in unione istius intentionis, & amoris, quo tu laudes

DEO

DEo Patri persolvisti, has tibi horas (: v. preces:) offero & persolvo.

Domine hoc opus offero tibi per Unicum Filium tuum in virtute Spiritus S. in laudem æternam.

Remedium contra distractiones.

S. Gert: Christus dixit: *Ecce Cor meum cui omnia quæ per Te supplere minus sufficis fiducialiter pro Te supplendo commendabis & sic omnia in oculis meis apparebunt summe perfecta.* l. 3. c. 25.

SVSPIRIVM
Post Divinum Officium.

S. Mecht: à Christo accepit. quod semper in fine diceret ut sequitur. Et in super. addens quod si quis id post singulas horas dicere non posset diceret saltim septies de die. l. 5. c. 33.

DEUS propitius esto mihi peccatori. Agne Dei benignissime miserere mei: & per temetipsum supple quidquid in hac hora neglexi.

Domi-

DOmine JESU ego hoc tepidum distractumq́, servitium meum commendo Divino Cordi tuo, emendandum & perficiendum: tibiq́. illud offero, in unione amoris illius quô Tu mortem pertulisti, eamq; cum omni fructu Sanctissimæ humanitatis tuæ in Die Ascensionis DEO Patri præsentasti. *Ger: l. 5. c. 31.*

Expansis manibus *orare quam sit gratum Christo S. Gert: revelavit quod is tantum mibi honoris exhiberet, quantum ille Regi defert qui ipsum solenniter intronizat &c.* l. 4. c. 16.

Ante Sonitum Horologij.

DUlcissime JESU, quidquid hâc horâ feci, illud commendo divino Cordi tuo emendandum, Deo Patri ad laudem æternam offerendum. Et quid quid hac sequente horâ faciam, illud purè ad laudem DEI & ad salutem universitatis in unione Passionis tuæ perficiam.

Ante Laborem.

B. Gert: *Christus ut quandocunq; aliquid agere disponeret semper tali præveniret intentione. l. 3. c. 7.*

DOmine JESU, in unione perfectissimorum operum tuorum cõmendo tibi hoc opus meum secundum tuam laudabilissimam voluntatem regendum ad salutem totius universitatis.

Post Laborem.

DOmine JESU, in unione perfectissimorum operum tuorum, offero tibi hoc opus meum ad emendandum, ac DEO Patri digne præsentandum ad laudem æternam.

Ante Comestionem.

Quoties taliter comeditur ego fatebor cum illo comedisse, &c. Ideoq; affectum amoris illius, tempore congruo satis dignanter illi manifestabo. l. 3. c. 23.

DOmine JESU, hunc cibum suscipio in illo amore, quo tu eundem

dem sanctificasti, cum in tua Sanctissima humanitate consimili utereris ad laudem DEI Patris, & salutem totius generis humani: orans ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus cælestibus, terrestribus & purgandis.

Sub Comestione.

Virtus Divini amoris me totum incorporet amantissime JESU.

Et inter Bibendum.

Effectum vehementissimæ charitatis tuæ amantissime JESU, transfunde & conserva, in intimis meis, qui penetrando totam substantiã meam, jugiter distillet per omnes sensus corporis & animæ meæ ad laudem tuam æternã.

Post lapsum in peccatum.

Nunquam per tempus sinas maculam animæ durare in te, sed dũ te cognoscis maculatã statim devoto corde dic S. Gert: l 3. c. 37

O unica Salus mea, Christe JESU, da ut per saluberrimam mortem tuã deleantur omnia delicta mea.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Generalis pro Singulis diebus.

SACERDOTIS BENEDICTINI.

Ordinatus caveat elationem, aut superbiam: nec occasione Sacerdotij, obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Domino proficiat. Reg: C. 62.

Antiph: Ne reminiscaris, &c.

Psal: 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.

Alta-

Altaria tua Domine virtutum Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sœcula sæculorum laudabunt Te.

Beatus Vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo dysposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion,

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam; auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui,

Quia melior est dies una in atrijs Tuis super millia.

Elegi ablectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non

Non privabit bonis eos qui ambu-
lant in innocentia: Domine virtutū,
beatus homo qui ſperat in te.
Gloria Patri &c.

Pſalm. 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.
Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.
Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.
Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.
Nunquid in æternum iraſceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem.
DEUS Tu converſus vivificabis nos, & plebs Tua lætabitur in te.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſu-

Et super Sanctos suos & in eos qui convertuntur ad cor.

Verum tamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloriã in terra nostra.

Misericordia & veritas obviaverũt sibi: Justitia & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & justitia de Cœlo prospexit,

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructũ suũ.

Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, &c.

Psalm. 85.

INclina Domine aurem tuam; & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

Custodi animam meam quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum Deus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi, tota die lætifica animam

servi

servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationē meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me;

Non est similis tui in Diis Domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt Nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde meo: & glorificabo Nomen tuum in æternum.

Quia misericordia magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

DEUS iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsie-

CENSURA THEOLOGICA.

Ex Commiſſione Rńdiſſimi ad S. Crucem Abbatis Noſtri, Libellum precatorium, cui Titulus DIES BENEDICTI, ſtudiô R. P. *HYACINTHI IABŁOŃSKI*, Calvomõtani Profeſſi, Concionatoris, elucubratum, perlegi, & typo dignum cenſeo. In cujus fidem in Archi Cœnobio ad S. Crucem Calvomontano. Die 18. Anno D. 1732do. ſubſcribo.

P. MARTINUS KICINSKI, SS. Theol: D. Præpoſitus Vavelnicenſis C. B. Polonæ.

FACULTAS

Perill: Rńdiſſimi Abbatis.

Datur Facultas & Licẽtia Noſtra eidem Authori imprimendi librum altrẽſatum. Ita eſt

CHRISTINUS, ST: MIRECKI, *Abbas Archicænobij S. Crucis.*

Die 8. Sept. A. D. 1733.
In Monte S. Crucis.

IMPRIMATVR.

M. MARTINVS WALESZYNSKI, SS. Th: Doct: & Prof: Canonic9 Cathedr: Cracov: Vniversitatis Studij Generalis Cracoviens: Procancellarius, Librorum per Dioecesim eandem Ordinarius Censor. Datum Crac: Die 28. Febr: A. 1735.

runt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, & misericors: patiens, & multæ misericordiæ & verax.

Respice in me, & miserere mei: da imperium puero tuo, & salvum fac filium Ancillæ Tuæ.

Fac mecum signum in bonum; ut videant; qui oderunt me, & confundantur: quoniam Tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri, &c.

Psalm. 115.

CRedidi propter quod locutus sum ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota meá Domino reddam, coram omni populo ejus: pretiosa in conspe-

ctu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & Nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus, in atrijs Domus Domini, in medio tui Jerusalē.

Psalm. 129.

De Profundis, &c.

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel Parentum nostrorum vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Chryste eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Ego dixi Domine miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Converte Domine aliquantulum.
℟. Et deprecare super servos tuos;

℣. Fiat

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me Dñe;
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus, &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

AUres tuæ pietatis, mitissime DEus, inclina præcibus nostris, & gratia S. Spiritûs illumina cor nostrum: ut tuis misterijs digne ministrare, teq; æterna charitate diligere mereamur.

DEUS cui omni cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum: purifica per infusionem S. Spiritus cogitationes cordis nostri: ut te perfectè diligere & dignè laudare mereamur.

Ure igne S. Spiritus renes nostros,

& cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus & mundo corde placeamus.

Mentes noſtras quæſumus Domine Paraclitus, quia te procedit illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius veritatem.

Adſit nobis quæſumus Domine, virtus Spiritus Sancti quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

DEUS qui corda Fidelium S. Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis quæſumus in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus piâ conſolatione gaudere.

Conſcientias noſtras quæſumus Domine, viſitando purifica, ut veniens JESUS Chriſtus Dominus noſter Filius tuus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem, qui tecum vivit & regnat, &c.

Ego volo celebrare Miſſam & cōficere Corpus & Sanguinem Domini noſtri

nostri JESU Christi, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem Omnipotentis Dei totiusque Curiæ triũphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiæ militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere,, & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. A.

VEni Sancte Spiritûs Paraclite illuminator, tuæ Sanctæ Ecclesiæ, qui illuminasti, & sanctificasti corda Sanctorum Apostolorum, & omnium tuorum Fidelium, te invoco, ad te clamo, in regimen omnium meorum sensuum, & cogitationum, ne à via recta deviet voluntas mea, & ut à vermis stimulo quotidie purgetur Cõscientia mea; digneris igitur esse præsens in mea mente, in meo corpore, ut per tuam Sanctam virtutem & Divinam operationem fiat cor meum mundum; & tuæ gratiæ habitaculũ, mens mea fiat munda & pura, & omnes sensus mei purgati, & clarifi-

cati, & mysterium servitutis meæ in conspectu tuo fiat acceptabile, & mihi salutare: tua misericordia tribuente, tua virtute operante, tua gratiâ confirmante, quia tu facis de indignis dignos, de peccatoribus justos, de immundis mundos, tu justificas impios & mortuos vivificas & in infirmitate virtutem misericorditer tribuis, quia Tu es Creator omnium, & Dominus dominantium! munda ergo me, vivifica me, justifica me, ut ad Sanctum Altare mundo corde possim accedere, & Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi sumere.

In Ejus enim Persona & ex eadem charitate, & ex eodem fine sicut ipse instituit, & Sancta Mater Ecclesia Romana ordinavit, ego intendo hanc Missam celebrare ad honorem & laudem SS. Trinitatis & hoc ob memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis

Ejusdem

Ejusdem Domini nostri JESU Christi, & ad jubilum Beatæ semper Virginis, & omnium SS. Angelorum, Archangelorum & aliorum Sanctorum & Sanctarum, & præsertim in honorem Sancti N. ac Sanctorum NN. vel quorum hodie Festum celebratur, intendo etiam hanc Missam celebrare in remissionem peccatorum omnium meorum & Patris & Matris meæ, & Consanguineorum, & affinium meorum, & Religiosorum & Religiosarũ, & literas Confraternitatis habentium, Ordinis Nostri; & omnium Benefactorum nostrorum, & Fidelium Christianorum, tam vivorum quam mortuorum, & specialiter pro illo v. illis qui mihi Eleemosynam dederunt, & relinquerunt, ut secundum eorum voluntatem, & intentionem hanc Missam celebrem: & pro Sanctissimo Pontifice Nostro N. Præsidente Nostro & Abbate nostro, ut DEUS nos conservet in vitam æternam. Amen.

SUſcipe igitur Pater Cœleſtis clementiſſime Domine, & Pater miſericordiarum, hodie per manus ſervi tui hoc Sacroſanctum Sacrificium Verum Corpus, & Sanguinem Unigeniti Filij Tui Domini noſtri JESU Chriſti, in ſatisfactionem & remiſſionem omnium peccatorum meorum, in ſalutem & fortitudinem animæ meæ, & totius domus meæ, & omnium illorum, quibus aliquâ obligationê teneor; & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Religioſorum, Catholicæ Fidei, ut eis gratiam Spiritus Sancti impartiri digneris, ad ſalutem animarum ſuarum, & regimen totius Populi Chriſtiani, & omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas, & ducas ad vitam ſalutis: in conſolationem omnium tribulatorum ut eis adjutorium, & veram patientiam tribuas: in refrigerium, & liberationem omnium animarum exiſtentium, in purgatorio,

& maxime illarum quæ auxilium a me jure expectant, & ad illuminationem, & conversionem omnium gentium, infidelium, & Hereticorum, & Schismaticorum; ut cognoscant & ament Te firmam Veritatem, Patrem Omnipotentem qui cum Filio & Spiritu S. es laudabilis DEUS, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

DEUS qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus justos, & de immundis mundos, munda cor & corpus meum ab omni contagione, & sorde peccati: & fac me dignum, atq; strenuum Sanctis Altaribus tuis, ministrum; concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, Hostias acceptabiles, atq; placabiles offeram pietati tuæ, pro peccatis & offensionibus, innumerisq; & quotidianis excessibus meis, atq; cunctorum simul Christianorum culpis absolvendis: & per eum sit tibi votum meum acceptabile qui

ſe tibi DEO Patri pro nobis obtulit, Sacrificium, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum' Amen.

Chriſtus D, *S. Gertr: dixit: per hanc Oratiunculam hoc lucrata es quod jam verè omnibus Cælicolis appares in eo ornatu quem tibi petiſti.* I. 5. C. 34.

Amantiſſime Domine JESU per amorem dulciſſimi Cordis tui deprecor, ut tu ipſe pro me offerre digneris perfectionem illam, quâ in horâ Aſcentionis tuæ paratus adſtitiſti DEO Patri ad ſuſcipiendam glorificationem, ſordidamq; animam meam per tuam innocentiſſimam humanitatem reddere puram, & ab omni peccato immaculatam; & per excellentiſſimam divinitatem tuam omnigena virtute ditatam, & ornatam: nec non per virtutem amoris illius, qui ſummam divinitatem conjunxit cum Immaculata tua humanitate, eam omnibus donis tuis convenientiſſimè adaptare digneris,

Sequere consilium à Christo S. Mechtildi datum tale: Suscipe me tali intentione, ac si omne desiderium, & amorem quo unquam humanum cor accensum fuit, haberes. Hunc ego suscipiam non qualis in te est; sed qualem tu esse desideras. l. 3. C. 23.

O JESU millies desideratissime, ecce nunc appropinquat hora illa felicissima, quâ te Deum meum suscepturus sum. Ecce JESU amabilissime, cum summa qua possum devotione, & reverentia venio ad te, & vado in occursum tui. Extende igitur Sacratissimas manus tuas, ad amplexandam animam meam, sicut sicut easdem perforatas manus tuas, inter maximos crucis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendisti. Ego ô mi JESU Crucifixe, non solum manus meas, verùm & cor, & animã ad Te amplexandum, & in cordis mei penetrale introducendum extendo. O utinam talem, ac tantam devotio-

votionem, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, quâ ullum unquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem! O utinam, & millies utinam omni virtute, omni desiderio, omniq; devotione repletus essem! O utinam & millies utinam omnium Angelorum puritatem, omnium Apostolorum charitatem, omnium Martyrum merita, omnium Confessorum sanctitatem, omnium Virginum haberem puritatem, & munditiem! O utinam & millies utinam tali devotione reverentia & amore te possem suscipere, sicut Beatissima Mater tua te in tua incarnatione, & post modum in Sacramento suscepit. O utinam & millies utinam tuum Sacratissimum ac divinissimum Cor haberem, ut te ipsum in illud ipsum tali, quô dignus es modo suscipere possem.

Offero Tibi JESU dulcissime in condignam præparationem animæ meæ

& in supplectionem omnis indignitatis, omniumq; negligentiarum meatum; universas præparationes, devotiones, affectus & amores, quos omnes Sancti tui, maximè verò Beatissima Mater tua Te in hoc Sacramento susceperunt. Offero Tibi JESV Sacratissime, tuum superdignissimur Cor, omnesq, supercœlestes virtutes & gratias, quas Beatissima Trinitas in id ipsum superabundantissime contulit; ut ijsdem abyssalis illa vilitas & indignitas mea contegatur, tibiq; in anima mea dignissimum, placidissimum habitaculum præparetur.

Ad B. VIRGINEM.

Has tres Oratiunculas B. Virgo docuit S. Gertrudem, Eam certificans quod virtute earum SS. Trinitatem in sui complacentiam esset inclinatura. l. 4. c. 49.

CAstissima Virgo Mater, rogo te per illam innocentissimam puritatem, quâ Filio Dei in Vtero tuo Virginali placitam mansionem præparasti;

ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

HVmillima Virgo MARIA, rogo te per profundissimam illam humilitatem, quâ super omnes Choros Angelorum, & Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiæ meæ.

AMabilissima Virgo MARIA, deprecor te per amorem illum inæstimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus præstetur mihi copia diversorum meritorum. Amen.

O Mater Pietatis, o Inventrix gratiæ, Genitrix salutis æternæ, Beatissima Virgo MARIA, ego miser & indignus peccator, ad te confugio toto corde & affectu, precor tuam dulcissimam pietatem, ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce pendēti astitisti, ita & mihi misero peccatori, & Sacerdotibus omnibus, hic & in tota S. Ecclesia offerentibus, hodie clemen-

clementer assistere digneris, ut tua gratia adjuti dignam & acceptabilem Hostiam, in conspectu summæ, & individuæ Trinitatis offerre valeamus A.

Ad S. JOSEPHUM.

AD Te potissimum recurro S: JOSEPH, cui pretiosissimus Thesaurus & dulcissimus cibus noster JESVS Christus concreditus fuit; qui Pater illius, Nutritius & Patronus fuisti nuncupatus, qui uti fidelis Æconomus Panem hunc uitæ, & frumentum Electorum custodisti, conservasti, & in tuis ulnis portasti: impetra mihi a Domino DEO, & Christo Jesu, tuis similes virtutes, dona gratias, & merita, quibus exornatus dignè tangere, custodire, & in pectore cordeq; meo eundem Panem, & Thesaurum nostrum Jesum Christum portare ac conservare possim. Amen.

Ad S. P. N. BENEDICTUM.

O Beatissime ac Sanctissime Christi Confessor, Monachorum Pa-

ter

ter & Dux BENEDICTE: ecce ego miser peccator, qui non sum dignus vocari filius tuus, nihil de mea justitia præsumens, sed de clementia Dei, & tuis gloriosis meritis confidens! intendo nunc offerre Divinæ Majestati cæleste Sacramentum corporis, & Sanguinis ejusdem Domini nostri JESV Christi, pro tua gloria & beatitudine. Obsecro igitur te Sanctissime Pater per illius amorem, & honorem qui te elegit de mundo & in conspectu suo beatificavit, ut digneris sic ardenter orare pro me, ut tuarum præcum interventu adjutus, hoc divinissimum Mysterium digne tractare, & sumere valeam, & ab omnibus malis corporis, & animæ defendi, ut tandem tecum, & cum omnibus Sanctis Monachis, & alijs Electis Dei pervenire merear ad laudandũ & possidẽdũ ejus Beatissimam Visionem æternaliter in Cælis. Amen.

Ad

Ad SANCTUM

De quo Festum agitur. Oratio.

O Sancte N. vel Sancta N. cujus hodie memoriam in terris celebramus, ego fragilis peccator conservus tuus, de tuis meritis confidens, intendo hoc manè offerre Sacratissimũ Sacramentum, Corporis & Sanguinis Dñi nostri JESV Christi, pro tuo honore & Gloria. Precor te humiliter & devotè! ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digné, & acceptabiliter offerre valeam, & tecum, & cum omnibus Electis ejus æternaliter laudare, & cum eo regnare ualeam. Amen.

Ad OO. SANCTOS.

Specialiter Ordinis nostri ex S. Gertr: l. 3. c. 10.

O Vos omnes Sancti & Sanctæ Dei, maxime verò vos dilectissimi Patroni mei & Confratres, ex intimo cordis affectu saluto, & veneror Vos. Adoro & benedico immensam boni-

tatem & dignitatem semper venerandæ Trinitatis pro omni gratia, quæ ex ipsius superefflüentia abyssali unquā defluxit in salutem vestram; supplicans omnibus communiter, & singulis singulariter, ut quilibet Vestrum ad Sacrificium fulgidæ semperq; tranquillæ Trinitatis in supplementum negligentiarum, & indignationis meæ offerre dignetur omne studium, & præparationem, qua die Assumptionis Vestræ per fectissimè consumati conspectui gloriæ Dei astitistis æternis præmijs remunerandi: Amen.

Quinque Puncta ante Missam facienda.

1. Detestor, & abominor omnia, & singula peccata mea, & omnium aliorum, commissa ab initio mundi usq; in hanc horā, & deinceps usq; ad finem mundi committenda, & si possem, impedirem per gratiam Dei quam ideó supplex invoco.
2. Laudo & approbo omnia bona opera, facta à principio mundi usq;

in hanc horam, & drinceps usq; in finem mundi facienda: & si possem, ea multiplicarem, per gratiam Dei. quam supplex invoco.

3. Intendo omnia facere, dicere, & cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

4. Ignosco & dimitto ex toto corde meo, omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque, modo mihi nocentibus vel volentibus mala.

5. O si omnes homines salvare possem moriendo pro singulis! libenter id facerem per gratiam Dei, quam propterea suppliciter imploro & sine qua nihil possum,

Jam jam accessurus dic quod Christus S. Gertr: l. 3. c. 20. docuit

ECce Domine, ego vilis peccator,

pauper, malus, & indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula; & repleär omni gratia.

Sequentia verba dic cum magno affectu, quo Christus dixit B. Gertr. l. 2. c. 19. quòd qui tali intentione ad Communionem accederet, nunquam irreverenter accedere posset.

ET licêt sciam me extremè indignissimum, imò execrandum, & abominandum peccatorem; de ineffabili tamen pietate tua confisus, eo modo & intentione ad hanc Sacratissimã Corporis & Sanguinis tui participationem accedo, ut amore amoris & gloræ tuæ parvi pendam (etiamsi possibile esset quòd magnam damnationem mihi in Sacramento sumerem) ut tantummodò Divina pietas tua magis clarescat per hoc, quod te tam indigno non dedignaris communicare,

Me-

Memento Vivorum.

Quod junges cum Memento Christi in cruce pendentis, ac in Ipsius Vulneribus depones omnes, ac immerges pro quibus orabis.

1. Memento mei., fac me idoneum ministrum tanti Sacramenti, & ut tibi puro amore placeam, & ne minimo peccato offendam, infunde memoriam Passionis tuæ. Concede conversionem morum meorum, & virtutes statui meo necessarias ut in hac vocatione mea, in vita Religiosa, & observantia mandatorũ tuorum, & Regulæ meæ bono exemplo, patientia multa, profundissima humilitate, & abjectione mei ipsius, in tuo timore & amore filiali, & dilectione proximi in dies proficiam. A repentinis casibus præserver, in tribulationibus, & tentationibus solatium, & in ultimo vitæ meæ articulo salutarem consequar misericordiam.

2 Ecclesiæ, Cætus Cardinalium, ac omnium Superiorum Congregationis nostræ & Monasterij, Sacerdotum, & eorum singulariter qui salutem animarum curant,

3 Parentum meorum & de linea Paterna & Materna ascendentium & descendentium.

4. Fratrum, Sororum, præcipue nostrœ Religionis, quos digneris ad laudem Nominis tui conservare & in Regulari observantia proficere & mutua charitate vigere.

5. Amicorum, Benefactorum, tàm universalium quàm particularium, & eorum qui mihi aliqua conjuncti sunt necessitate, & qui se meis commendarunt orationibus, & vicissim tuam SS. exorant Majestatem, & in Confraternitate quâvis mecum existentium, omnium meæ curæ subjectorum & subditorum.

6, Omnium Principum Christianorum, Dominationum & rerum publicarum temporalium.

7. Omnium peccantium, maximè in periculo animæ, inimicorumq́, meorum atq; conversionis omnium Hæreticorum & infidelium.

9. Memento deniq; omnium quos aliquando conturbavi, gravavi, scandalizavi verbis factis scienter, vel ignoranter, & occasionem ad peccandum præbui, aut in Confessionibus pro delicto non satisfeci. Et eorum omnium pro quibus scis & vis me debere orare.

1. Memento mortuorum eorum pro quibus *Ecclesia* orat, Religio, & me vult orare & hujus N. N. pro quo tibi offertur.

2 Animarum Parentum, Fratrum, Sororum, Cognatorum. atq; amicorū omnium, & omnium Religiosorum ubiq; requiescentium & specialiter in hoc loco (:præcipue eorū qui tempore officij mei decesserunt)

3. Animarum omnium Benefactorū tam spiritualium, quam corporalium,

& ani.

& ànimarum mihi in genere, & in specie commissarum.

4. Animarum Prælatorum præcipuè Ordinis Congregationis & Monasterij nostri Sacerdotum omnium, Ministrorum S. Romanæ Ecclesiæ Dei, & Apostolicæ.

5. Animarum in Confraternitate quavis mecum existentium & earum quæ mei occasione in igne purgantur

6. Animarum morte improvisa corporibus exutarum, atq; earum quarum non est specialis memoria.

7. Et earum omnium. pro quibus scis & vis me debere orare.

GRATIARVM ACTIO.
Post Missam.

Antiph: Trium Puerorum Canticum Benedicite cum consuetis orationibus:

Quod quantæ sit efficatiæ sequens Oratio S. Gertrudis intellexit, quòd illi BB. Spiritus tam ineffabilia delectamenta perceperant. quòd si antea nullam beatitudinem habuissent. l. 4. c. 56.

Beatissima

BEatissima Virgo MARIA, eccè Filium tuum quem immaculato Utero tuo concepisti, genuisti, lactâsti, atq; suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce cujus aspectu lætabaris, & omnibus delicijs replebaris, illum Ipsum, quem ex inæstimabili divinæ bonitatis dignatione hodie dono datum in corpus & animam suscepi Tibi humiliter & amanter repræsento, & offerro tuis Brachijs constringendum, tuo ore osculandum, tuo Corde amandum & unà mecum imo pro me adorandum: nec non & SS. Trinitati in supremum latriæ cultum, pro meis totiusq; mundi necessitatib9 offerendum: ut quod meis meritis non præsumo, tuæ prærogativâ dignitatis in hac oblatione suppleatur.

O vos omnes Sancti & Sanctæ Dei, maximè verò vos dilectissimi Patroni mei, ecce Dominum & sponsum vestrũ JESVM Christum, quem viventes in carne, tota mente dilexistis, vos omnes

& singulos saluto per eum, quem modo in Sacramento suscepi, & in singulare augmentum gaudij, gloriæ ac beatitudinis Vestræ offero vobis Eum cum omni amore, & fidelitate, quã in tempore vobis exhibuit, & modò in æternitate incessanter exhibet: orans ut eundem pro me adoretis, & colatis, atq; SS. Trinitati pro meis, totiusq; Ecclesiæ necessitatibus proq; Gratiarum Actione omnium beneficiorum mihi collatorum summâ devotione offeratis. Et quidquid per me impetrare nequeo, vestris meritis & precibus impetrare merear. Amen.

Alia Gratiarum Actio post Missam quâ utilior excogitari non potest.

O Pater misericordiarum & DEVS totius consolationis, qui ex abundantia infinitæ charitatis tuæ dedisti nobis unigenitum Filium tuum, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, ut que ex immenso ejus thesauro nostra

supplea-

ſuppleatur inopia. En ego miſer peccator ſed per miſericordiam tuam vocatus in ſocietatem, Filij tui, nunc quoque particeps factus ſum corporis, & Sanguinis ejus. Proinde illum jam in pectore meo complector, & tanquam rem meam intimè mihi conjunctam poſſideo, Atque talem in unione charitatis, quâ ſe ipſum olim dedit pro nobis in ara Crucis: modo ſe dat, & communicat in Sacramento Altaris, tibi eum offero, unâ cum omnibus meritis, atq; virtutibus in æternam laudem tuam, ut ille tibi perfectè complaceat, & nos qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, dilectiſſimi Filij tui meritis, & patrocinio perfectè placeamus.

Offero tibi Pater Sanctiſſime omnẽ Ejus charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, manſuetudinẽ patientiam, cum alijs õnibus, virtutibꝰ quibus excelluit, ut totũ quod mihi deficit per illas ſuppleatur.

Cumq; ego debitas tibi gratías pro beneficijs in me collatis . agere nequeam, offero tibi omnes laudes, quas ipse obtulit, cum visibilis inter homines versaretur in terra, & quas tibi nunc offert in gloria.

Cum verò satisfacere nequeam Tibi pro debitis, seu peccatis meis: offero tibi omnes eius labores, jejunia; vigilias, fatigationes, orationes: quidquid deniq; fecit, aut pertulit, à primo instanti conceptionis suæ, quousque Spiritum emisit in Cruce. Omnes angustias, dolores ac tormenta passionis, omnem Sanguinem pro me effusum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleratam. Ecce hic est Filius & Thesaurus Pater clementissime, in quo totam spem reposui, hæ sunt divitiæ quas offero in satisfactionem omnium debitorum meorum.

Aspice pie Pater in Faciem Christi tui, & cum hic sit Filius tuus dilectus;

in quo tibi semper bene complacuisti, qui mihi nunc intimé conjunctus est. Supplex rogo ut me quoq; respicias oculis misericordiæ tuæ : sub ejus protectione, ac tutela, sub umbra meritorum Ipsius compareo coram Te: illum præcipue intuens, me quoq; clementer, ac benignè respicias tanquam mancipium ejus, & servum perpetuum. Ne permittas obsecro ut pereat illa anima, quæ toties recepit Filium tuum, qui à Te missus venit in mundum, quærere, & salvum facere, quod perierat. Hoc præsta mihi per infinitam misericordiam tuã. A.

Laudetur SSmũ Sacramentum tot laudibus, quot in cælo stellæ, in igne scintillæ, in aëre athomi, in mari guttæ, in terra pulveres : quot in vere flores, æstate grana, autumno folia, hyeme nives, & grandines, quot corporeæ in universo sunt creaturæ, quia dignus es Domine universorum, qui sub corporeis Vini Panisq; specie-

bus lates. Vere tu es Deus absconditus.

Laudetur SS. Sacramentum tot laudibus quod ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium excogitari unquam potuerê vel possunt: quia dignus es tu Domine Pater noster qui nos cibas & potas quotidie, cujus redempti sumus pretioso Sanguine quasi Agni Immaculati.

Laudetur SS. Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli ipsaq; SS. Trinitas suâ potentia depromere, suâ Sapientia concipere, suâ bonitate optare potest, quia dignus es Domine DEVS meus qui mihi donas non tantum humanitatem, verum & Divinitatem tuam. Domine DEUS meus verè laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula. Amen.

DIES I.

Actus.

AD DEVM PATREM.

PACTVM MAIVS.

Quod est immensæ virtutis, ac meriti.

DOmine DEVS Creator meus, tu scis desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus; sed quia præsentis vitæ necessitates minùs sinunt mentem laudi tuæ intendere? hinc tale pactum, quod totâ hac Hebdomadâ firmum permaneat, tecum ineo. Quoties hac hebdomadâ cælum suspexero, toties gratulabor, & congaudebo tibi ob infinitas perfectiones tuas, quod sis, qui es, summè potens, sapiens, benignus, & justus,

Quoties oculum clausero, vel aperuero, toties rata & grata habebo omnia opera, & actiones, quas Vnigenitus tuus, & omnes Sancti ac Justi ad laudem tuam unquam fecerunt, & deinceps facient; meq; horum participem fieri desidero. Quo

Quoties halitum traxero, toties offero tibi vitam, Passionem & Sanguinem D. N. Jesu Christi omniumq; Sanctorum merita & passiones, in laudem æternam, & salutem universitatis, omniumq; totius mundi peccatorum satisfactionem.

Quoties suspiravero, toties detestor & abominor omnia, & singula peccata, tam mea, quam omnium hominum, ab initio mundi contra Honorem Nominis tui perpetrata. Quæ utinam meo sanguine aliquatenùs compensári possent;

Demum quoties manum, vel pedem movero, toties ex amore tui proijcio & resigno me totum in tuam Sanctissimam voluntatem; optans ut de me in tempore, & in æternitate disponas juxta tuum laudabilissimum beneplacitum. Et hæc quinque pacta ne unquam irritari possint, Sacratissimis quinque vulnerum tuorum sigillis obsigno, eaque rata & valida

esse

esse volo, licet tunc, cum unum de iisdem edidero minimè cogitarem. A.

Ad SS. TRINITATEM.

Tres incomparabiles laudes SS. Trinitatis quas Christus B. Mecht: docuit l. 1. c. 3?.

VEneror & glorifico te ô B. TRINITAS, in unione istius ineffabilis gloriæ, quâ DEVS Pater in sua Omnipotentia Filio & Spiritui Sãcto congaudet per sæcula.

Magnifico & benedico Te ô Beatissima Trinitas in unione istius reverendissimæ gloriæ, quâ DEVS Filius in sua inscrutabili Sapientia cum Patre & Spiritu S. glorificatur, per sæcula.

Adoro & exalto Te, ô B. Trinitas, in unione istius superdignissimæ gloriæ, quâ Spiritus S. in sua invariabili bonitate cum Patre & Filio superexaltatus per sæcula.

Laus efficacissima. Ex Exerc: S. Gertr.

TOta efficacia & virtus Divinitatis Tuæ laudet te pro me JESV piis-

 sime

sime. Tota amicitia & affectus humanitatis tuæ satisfaciat tibi pro me. tota Magnificentia, & Majestas imperialis Trinitatis glorificet, magnificet, & honorificet Te ipsum, in te ipso pro me, illâ laude altissima; quâ Tu ipse solus Tibi sufficis & omnium creaturarum defectum tibimetipsi supplens in Te perficis. Amen.

B. *Mecht: Christus dixit: si me dignè vis laudari, tunc dic hæc 5. verba* l. 3. c. 5.

Gloria tibi dulcissima, nobilissima fulgida, tranquilla, & ineffabilis Trinitas.

GRATVLATIO

Mire sublimis Deoq; grata ex Exer: S. Gertr.

DEVS gloriosissime, ego servorum tuorum minimus gratulor tibi, & ex toto cordis affectu volo, & consentio quod sis, æternumq; permaneas talis ac tantus Deus, qui in tua Deitate & essentia es, æternumq; eris. Gaudeo & congratulor tibi de tua infinita potentia, ac Majestate. Gaudeo, & gra-

gratias ago tibi propter magnam gloriam, & ineffabilem excellentiam tuam; Gaudeo ac toto corde exulto, quod in ditione tua cuncta sint posita, & non sit, qui tuæ possit resistere voluntati. Et in summam gratulationem & gratitudinem, quòd tu sis ille tantus tamq; ineffabilis DEVS, offero tibi per Cor JESU dulcissimum, nomine meo omniumq; creaturarum tuam divinam infinitamq; essentiam, cum omnibus perfectionibus, attributis, & proprietatibus, quas in eadem complecteris; tali modo, & affectu, quali dedisti nobis posse per Filium tuum in Spiritu S. Opto quoque & desidero ut omnes creaturæ quæ sunt in cælo, & in terra, te agnoscant, te diligant, tibique de tua immensa gloria & beatitudine congratulentur, quas omnes in spiritu coram te sisto, tibique subijcio, eorumque nomine tibi congratulor. Et quoniam id omne longè minus est,

hinc rogo, ut tu meum omniumque creaturarum officium in amando congratulandoque tibi per teipsum supplere digneris. Et hunc ipsum splendorem floremq; charitatis, & gratulationis unà cum omni gloria, laude, & gratulatione, quam unanimi consensu omnes Beati Spiritus, omnesq; Justi tibi deferunt, offero tibi in gratiarum actionem pro omni gloria & beatitudine, quâ frueris in perpetuum. Amen.

Professio Beneficiorum DEI.

S. Gertrudis intellexit: quod quando aliquis similiter profitetur, cum gratitudine se Providentiæ divinæ committens, tunc Dominus in specialem curam suscipiet eum. l. 3. c. 71.

GRatias tibi ago S. Pater, utcunque prævaleo, per eum qui sedet ad dexteram tuam, quòd tàm præ magnifica dona à tua largitate accepi; quod certò recognosco nullam unquam potentiam in hoc præ-

valuis-

valuisse, nisi solummodo tuam Divinam potentiam, quæ omnia creata sua vegetat virtute.

Gratias tibi ago Benignissime JESU, & fateor, atq; fatebor quousq; spiritum trahere valeo, quòd tam in corpore, quàm in anima, & in omnibus quàm adversis tàm prosperis, ita congruentissimo modo mihi providisti, quod hoc nulla unquam sapientia ab initio sæculi usq; ad finem prævaluisset, nisi Tua sola Sapientia increata, dulcissime DEUS attingens à fine usque ad finem fortiter & suaviter disponens omnia.

Gratias tibi Spiritus Alme Paraclite, per Eum qui Te cooperante Incarnatus est in Utero Virginali, quod ita suaviter in benedictionibus Tuæ gratuitæ dulcedinis in omnibus me indignum prævenisti, quòd certus sum nullam hoc unquam benignitatem perfecisse, nisi solum modo tuam ineffabilem dulcedinem, in qua latet, à

qua procedit, & cum qua simul accipitur omne bonum. Et sicut hucusq; mihi semper providisti, sic idipsum deinceps de Divina tua bonitate, cui me devotissimè committo, confido atque præsumo, Amen.

AMOR DEI.

DEUM diligere ex toto corde & anima & tota virtute. S. P. Bene: c. 4.

B. Gertrudi revelatum, quod plus apud Deum prævalet vivis, & defunctis salutem impetrare una amans anima, quàm non amantium millium duodena. l. 4. c. 55.

DEUS cordis mei, diligo te ex toto corde meo, dulcedo mea, jucunditas mea, deliciæ meæ, amo te quantùm possum, & quantum valeo, sed non quantum debeo. O utinam Seraphinorum amore succensus millies te super omnem Creaturam laudare, amare, tibi gratias agere, condolere, & in omni virtute me perfectissimo modo exercere possem, id ex integra voluntate mea libentissime fa-

cerem,

cerem, juxta divini Cordis tui summum beneplacitum.

O dulcis Amor meus si possem tibi Domino DEO meo adducere omnes homines cum quibus dignaris delitias tuas habere, ab hoc die isto usque in diem Judicij; libentissime vellem nudis pedibus circuire totum mundũ, & quemlibet eorum in quibus tu dulcor animæ meæ inhabitando digna-ris delectari, ulnis meis, gestando tibi præsentare: ut vel sic desiderio infinito dulcedinis tui divini amoris aliqualiter satisfacere possem. Insuper, si possibile esset, cor meum in tot partes dividere vellem quôt homines vivunt, ut ex eo cuilibet eorum partiri possem bonam voluntatem, ad obsequendum tibi, secundum tui divini amoris summum oblectamentum.

O amabilissime DEUS, nihil quidẽ habeo, quod possit tuam dignitatem condecorare, sed tandem illam voluntatem habeo, quòd si ego haberem omnia

mnia, quæ tu habes, omnibus vellê abdicare, & tam liberaliter omnia tibi dare, quod tu posses dare cuique velles. Imò si defacto Deus essem, & tu esses pauperculus ille N. qui ego sum, vellem ex toto corde divinitati meæ resignare, atq; amore tui pauperculus ille fieri qui modo sum, fiat fiat.

Quod cum sic oraret. S. Gert: *Christus &c.* quod similiter tibi volo facere, & supra hoc, quantum pietas mea & amor meus præponderat. *l. 4. c. 16.*

PROFESSIO FIDEI.

O Prima & summa Veritas DEVS meus, ego NN. corde credo, ore confiteor, & opere protestor, quod omnes & singulos Fidei Articulos, quos S. Rom: Ecclesia nobis credenda proponit, firmissime credam, & usq; in finem credere velim. Et licet comprehendere nequeam cui nam omnia illa, quæ fides tradit, sint possibilia; attamen captiuans intellectum meum in obsequium Christi omnia

illa Sacrosancta Mysteria, summa demissione veneror, mihique ea in salutem provenire deposco. Et sicut hanc fidem modo protestor, sic & in eadem me vivere & mori velle, coram omnibus Angelis, & Sanctis, maximè coram te ô SS, Trinitas voveo, juro, & promitto: sic meDeus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEVS erat Verbum.

Quicunq; sic oraverit (ajebat Christus Methi. l. 5. c. 34.) impetrabit hanc gratiam, quod usque ad finem vitæ suæ, nunquam in vera fide tentabitur.

HAnc ergo fidem meam commendo Omnipotentiæ tuæ, ò Pater Æternæ, rogans ut per Divinam virtutem tuam, me in eadem adeo confirmes, ut ab ea nunquam deficiam. Cõmendo etiam eandem investigabili Sapientiæ tuæ, ô Fili Vnigenite, rogans ut me lumine intelligentiæ tuæ ita illumines, ne unquam per spiritum erroris

roris valeam perverti. Commendo quoque eandem pijssimæ bonitati tuæ ô Spiritus Paraclite! rogans, ut illa ipsa per charitatem omnia ita in me operetur, ut in hora mortis meæ integra, & perfecta in me inueniatur.

FIDVCIA in DEVM.

Spem suam Deo committere. R. S. P. B. *c. 4. B. Mechtildi dicebat Christus: est impossibile quod homo non accipiat ea qua credidit & speravit, bonum est homini mihi sincere fidere.* l. 3. c. 5.

O DEVS cordis mei, unica spes & refugium meum, ego paupercu-lus, licet omni bono millies indignus, attamen de tua benignitate tam firmiter confido, quod nequaquam dubitē te mihi in omnibus posse, scire & velle fideliter adesse. Scio quidem pijssime DEVS, quod si secundùm merita mea mihi facere velles, non solum à Te nullam gratiam expectarem, sed mille, & mille supplicia; attamen cum sciam tam exuberantem esse bonitatē

tuam, quod etiam pessimis inimicis tuis benefacere soleas; hinc & ego firmissimè credo, atq; confido, quod me in miserijs meis non sis derelicturus, sed in omnibus mihi taliter provisurus, qualiter á meo maximo amico non melius possem sperare. O amabilissime DEVS licet peccata mea adeò gravia & multiplicia sint, quod mille inferni, eis non correspondeant: attamen in consideratione infinitæ bonitatis tuæ tam securè à te (dummodo mihi displiceant sicut vere displicent) eorum remissionem expecto, quod potius dubitarim an sim; quam dubitarim an mihi ea sis remissurus. O infinita Bonitas, tam piam de Te habeo fiduciam, quod licet millies plus peccassem quam feci, scirémq; certò te gravissime mihi iratum, attamen licet penes me esset eligere mihi Judicem, nullum tamen alium quam te eligerem, Tibi inquam & nulli alteri fiderem certiusq;, a Te

mise-

misericordiam expectarem, quàm ab optimo meo amico. Etenim si toties tamque graviter contra aliquem Amicorum meorum, sicut contra Te, peccâssem, certissimus essem, quod mihi non ignosceret, licet charissima Mater mea esset: Si enim ei ita rebellis ac injuriis fuissem, ac tibi; vel millies me abjecisset, & execrata fuisset. Tu vero post tot tamque graves in in tuo servitio commissas negligentias foves me nihilominùs ac nutris.

De consequenda verò beatitudine, putasne, pijssime Pater, me vel in minimo diffidere? absit: non enim meis meritis, sed Unigeniti tui fideli promissione, ejusq; copiosissimis meritis, quæ fidelibus suis donavit, eandem me assecuturum spero. Et hinc tanto jubilo & consolatione afficior quod uidear possidere bonum, quod desidero. Filius enim Tuus, qui mihi salutem promisit, mer: itaq; sua, quibus illam cóemam donavit

navit, fidelissimus est, nec verbum quod de ore suo egressum est, revocabit. Hanc igitur fiduciam o Pater Æterne quam pietati tuæ committo, in me conseruare digneris, donec nos jungat æterna perennitas, & ipsa boni fruitio spem idipsum consequendi depellat. Amen,

RESIGNATIO.

Voluntatem propriam odire Reg. S. P. Ben: c. 4. B. Gertrudi revelatum est: quod desiderantes ut voluntas Dei circa se plenissime perficiátur tam in spiritualibus, quàm in corporalibus, ii Cor divinum medullitùs erga se commovent l. 3 c. 30

SAnctissime PATER, ecce ego vilis & paupercula creatura tua propriæ voluntati meæ prorsùs abrenuntians, offero & resigno me tuæ Sanctissimæ voluntati & beneplacito præ omnibus delitijs hujus mundi, optans & desiderans ut laudabilissima, placidissimaq; voluntas in me, per me, & circa me, tam in corporalibus quam in

spiritua-

ſpiritualibus in tempore & æternitate pleniſſime ſemper perficiatur. Et ad hoc perficiendum quodlibet membrorum meorum ſigillatim cuilibet pœnæ exponere paratiſſimus invenirer.

Si mihi optionem dares, ô mi DEVS! petendi, quodcunque vellem, & ſanctè mihi jurares quod petioni meæ per omnia annueres, nihil aliud peterem, quam ut laudabiliſſima voluntas tua ſecundum optimum beneplacitum ſuum tam in me, quàm in omni creatura tua perficeretur. Igitur in unione reſignationis illius, quâ Chriſtus in monte Oliveti ſe tuæ voluntati, integrè commiſit, ipſius affectu, & intentione, ipſius corde & ore dico, & millies dico: non mea, ſed tua voluntas fiat. Pater Sanctiſſime in tempore & in æternitate. Amen.

Si tibi aliqua adverſitas immineat addes hoc Dominum tali modo acceptare quaſi homo ille tempore Paſſionis ejus omnibus vulneribus ſuis leniſſima adhibuiſſet emplaſtra. l. 5. c. 64.

Ma-

Maximè autem resigno & offero me tibi bone JESV, paratum ad perferendam adversitatem illam mihi imminentem, quam integra voluntate de manu tua acceptabo, atque cum omni, quâ potero patientia sustinebo: in unione amoris illius, quô tu singulas adversitates de manu Patris tui suscepisti, easdemque cum summa gratitudine reobtulisti; rogans, ut mihi vires, & patientiam concedas, quò eandem viriliter perferre valeam ad laudem tuam æternam totius universitatis salutem, Amen.

Fiat Domine in me, de me, pro me, circa me & omnia, Sanctissima voluntas tua in omnibus nũc & in æternũ.

HORA OPERIS DIVINI.
Orationes pro Ecclesia.

Quam sit gratum Christo orare pro Ecclesia collige, quod Oratio illa illuminat cælestem Ierusalem tanquam ortu novi solis. S. Mechti l. 3. c. 47. & S. Gertrudi dixit Christus, tot facibus amoris Cor meum suc-

cendi-

cendisti pro quot mihi personis astas. Iterū si saltem unum Pater noster *pro salute Ecclesiæ legeret quis, Filius Dei gratissime acceptans & pro ipso gratias agens DEO Patri benedicit, & ex illa benedictiône multiplicatum distribuit universæ Ecclesiæ profectum salutis æternæ.* l. 4. c. 21.

Idem *S. Gertrudis à Spiritu S. didicit 5. Pater pro emendatione omnium peccatorum 5. sensuum & 3. Pater pro tribus viribus animæ à toto genere humano commissorum offerens ea hoc modo.*

DVlcissime JESV, offero tibi hanc Orationem, in unione illius perfectissimæ intentionis, quâ eadem in Corde tuo dulcissimo sanctificata ad nostram salutem est edita; in emendationem omnium commissorum, & in suppletionem negligentiarum, quæ unquam ex humana fragilitate, ignorantia, seu malitia sunt contracta, contra tuam insuperabilem omnipotentiam inscrutabilem Sapientiam, ac superessfluentiam gratuitæ bonitatis. A.

Pijssi.

PIjssime Domine ex intimo cordis affectu laudo, glorifico, & benedico te, pro creatione eorum omnium quos ad imaginem & similitudinem tuam creasti, gratias tibi ago pro omnibus beneficijs eis unquam impensis, sive impendendis: & in unione vehementissimi doloris tui, moveo querimoniam, dolens & pœnitēs pro omnibus meis, qui unquam gratijs tuis obicem posuerunt: devotissimeq; rogo pro omnibus, quo singuli juxta tuam divinam ordinationem in omni beneficio perficiantur ad æternā laudem & gloriam tuam. Amen.

Tria Laudate pro peccatis Ecclesiæ vel proprijs quæ Christus summe acceptat, vel Pater noster *quæ ea hoc modo offer S. Gert:* l. 4.

Pater noster *vel Laudate Dñum omnes.*

SAnctissime Pater, offero tibi omne exercitium Sanctissimi Cordis Vnigeniti tui, quô unquam lassatus in terrris pro salute generis humani,

in laude, gratiarum Actione, querimonia, actione, desiderio & amore, in emendationem omnium terrenarũ, & carnalium delectationum, ac perversarum voluntatum, quibus aliquod cor humanum (vel) meum implicatũ unquam fuit.

Pater noster. vel Laudate.

SAnctissime Pater, offero tibi omne exercitium innocentissimi oris Unigeniti Tui in abstinentia, & temperantia tam ciborum. quam verborum, in prædicatione, & oratione continua, quibus pro salute humana insudâvit: in emendationem peccatorum in universa Ecclesia: (vel à me:) commissorum, in gula, & ebrietate, ac nocivorum inutiliumque verborum multiplicatione. Amen.

Pater noster, vel Laudate.

SAnctissime Pater, offero tibi omne exercitium Sanctissimi Corporis Unigeniti tui, cum omnibus motibus singulorum membrorum, ac totam seriem

seriem perfectissimæ conversationis ejus, cum omni amaritudine suæ innocentissimæ Passionis & mortis, quam pertulit, pro redemptione generis humani, in emendationem omnium peccatorum, quæ quocunque modo vel motu singulorum membrorum quisquam (vel ego) contra propriam salutem sæviendo commisit Amen.

Alia vice dixit Christus ad S. Gertrudem Lege 33. Pater noster *& eme à me conversationem meam, quâ 33. annis operatus sum salutem in medio terræ, & hunc fructum communica toti Ecclesiæ.* l. 4. c. 20

DIES II.

Ad Christum Dominum.

Nil amori Christi præponere S. Reg: c, 4.

Dum has Orationes B. Gertrudis in Honorem Nom: IESV offerret, apparuerunt in specie rosarum. & his Christo ab alijs offenso blandiri solebat cum summo ipsius obiectamento. l. 4. c. 1,

AVe vivificans gemma divinæ nobilitatis. Ave immarcescibilis

Flos humanæ dignitatis JESU amantissime, tu mea summa, & unica salus. tu Creator, Redemptor, & Amator meus, qui per angustias mortis relicta omni beatitudine tua acquisivisti me, affectu totius universitatis salutans amplector, Te, & in dulcissimum Vulnus Cordis tui commendo me. Amen.

B. Gertrudis dum in Salutationem omnium Vulnerum D. N, IESV Xsti. legisset 5466. vicibus sequentem Orationem apparuit ei Dominus illamq́ salutans dixitq; tali forma Apparebo in hora mortis tuæ. Ego maculas omnes peccatorum tuorum contegens adornabo; & etiam omnium, qui simili devotione Vulnera mea salutabunt. l. 4, c. 35 *Christus B. Mechtildi post singulas 5. Orationes, etiam sequentem oblationem interponendam esse dixit* l. 4. c. 32.

GLoria Tibi suavissima, nobilissima, benignissima, imperialis, excellentissima, fulgida semperque tranquilla Trinitas, pro roseis vulneribus

ribus JESU Christi mei unicè electi amatoris.

Oblatio per 5. vices dicenda.

DOmine JESU Christe, Filij Dei vivi, suscipe hanc orationem, in amore illo superexcellente, quo omnia Vulnera Sanctissimi Corporis tui sustinuisti. Et miserere mei, & omnibus peccatoribus, cunctisq; Fidelibus vivis atque defunctis. Da eis gratiam, & misericordiam, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Amen,

Alia Vulnerum Christi Salutatio.

SAlvete pretiosissima JESU Vulnera, in Omnipotentia Patris, qui dedit vos. Salvete in sapientia Filij qui sustinuit vos. Salvete in bonitate Spiritus Sancti, qui per vos Redemptionem generis humani perfecit. In Vos commendo me, in vos abscondo me, in vos demergo me, ut vestra protectione liberari merear à facie vastatoris. Amen.

BLANDITIÆ JESU

Christus dixit ad B. Gertrudem: quicunq; devote sequentem Orationem recitaverit, cognitionis meæ gratiam in eo augeam. l. 3. c. 66.

O Rex Regum Excellentissime, Princepsq; Illustrissime, JESV amantissime; Tu animæ meæ vita, tecum sit affectio cordis mei unita: vi amatorij ardoris conflata. In omni ad quod sine te tendit, reddatur examinata. Quia tu es amænitas omnium colorum, dulcor omnium saporum; fragrantia omnium odorum, delectatio omnium sonorum, suavis amænitas amplexuum intimorum. In te voluptas deliciosa, ex te superefluentia affectuosa; tu superefluens abyssus divinitatis, O Rex Regum dignissime, Imperator excellentissime, Princeps Illustrissime, Dominator mitissime, Tutor validissime. Tu vivificans gemma

gemma humanæ nobilitatis. Opifex artificiosissime, Instructor mansuetissime, Consultor sapientissime, Adjutor benignissime. Amice fidelissime, Tu saporosa unio intimæ suavitatis O Blanditor delicatissime, Affector lenissime, Amator ardentissime, Sponse dulcissime, Zelator castissime. Tu vernans Flos ingenuæ venustatis. O frater amabilissime, Juvenis floridissime, Comes jucundissime, Hospes liberalissime, Ministrator curialissime. Te omni creaturæ præeligo, propter te omni delectationi abrenuntio, pro te omni adversitati obvio. In his omnibus te unicum laudatorem requiro. Te vegetatorem horum. omniumque bonorum corde & ore contestor. In virtute tui fervoris adjungo intentionem meæ devotionis, æfficaciæ tuæ orationis, ut per integritatem divinæ unionis, ducar ad apicem summæ perfectionis, consumpto omni motu rebellionis. Amen,

SUSPIRIA ad CHRISTUM

Mire alta quam Christus B. Mecht: docuit. l, 3, c. 35.

DVlcis JESV, ſuſpiro ad te in unione iſtius laudis: quæ à te omnes Sanctos effluit, in ſuppletionem iſtius laudis: quâ te omnes creaturæ laudare deberent.

Pie JESV, ſuſpiro ad Te in unione iſtius gratitudinis, quam Sancti tui de corde tuo trahunt, tibiq; pro donis ſibi collocatis gratias agunt.

Suavis JESV ſuſpiro ad te pro meis omniumque peccatis, in unione in iſtius patientiæ, quâ iniquitates omnium partas, & ſuffers.

Amabilis JESV, ſuſpiro ad te in unione tui divini deſiderij, quod in terris, pro ſalute hominum habuiſti, deſiderans omne bonum, quo homines ad laudem Dei, & ſalutem ſuam indigent.

Bone Jeſu, ſuſpiro ad te, in unione omnis orationis, quæ ex Divino

Cor-

Corde tuo, & ex cordibus omnium Sanctorum pro vivis & defunctis effluxit. Amen.

Laus Christi per *Alleluia.*

B. Gertrudis Christus dixit: Conuenientissimè me poteris laudare, in unione laudis cælestium civium, qui me jugiter colaudant hoc mudo. l. 4. c. 27:

LAudo te ô mi JESV, in unione illius excellentissimæ laudis, quâ omnes Sancti conjubilantes extollunt per suavissimam delectationem divini influxus tui, in tuam deificam humanitatem tuam, jam immortalitatis gloria sublimatam, pro multifaria amaritudine passionis & mortis, quam sustinuisti propter humanam salutem.

Laudo te, ô mi JESV in unione illius excellentissime laudis, quâ omnes Sancti extollunt amœnissimam delectationem illius gratissimæ vernantiæ qua oculi humanitatis tuæ delectantur in floridis pascuis totius summæ & individuæ Trinitatis.

Laudo te, ô mi Jesu in unione illius excellentissimæ laudis, qua omnes Sancti extollunt suavissimam delectationem, quâ demulcentur aures tuæ deificatæ humanitatis, in suavissimis blanditijs semper venerandæ Trinitatis omniumque Angelorum & Sanctorum laudibus indefessis.

Laudo te ô mi Jesu, in unione istius excellentissimæ laudis, quâ omnes Sancti extollunt deliciosissimam fragrātiam auræ gratioris, qua per suavissimum S. Trinitatis spiramentum, nares jam immortalis sanctæ humanitatis tuæ gratissime recreantur.

Laudo te ò mi Jesu, in unione illius excellentissimæ laudis, quâ omnes Sancti collaudant magnificum, incomprehensibilem & inæstimabilem totius divinitatis influxum in tuam deificam humanitatem, quæ jam immortalis & impassibilis effecta, pro sensu actûs corporei, quo caret duplici fruitur divinæ influxionis delectamento. Amen.

SALV.

SALUTATIO CORDIS JESU.

Dum B. Mechtildis recogitaret in amaritudine Cordis, quam negligenter Deo servisset, dixit Christus ad eam: pro omnibus quæ neglexisti, ut ea planè recuperare queas, saluta cor meum in divina bonitate hoc modo. l. 3. c. 8.

SAlve JESV Cor dulcissimum suavissimum S. Trinitatis organum. Salve Cor Jesu mellifluum, omnis bonitatis & gratiæ vinum profluvium Salve Cor Jesu amantissimum omnium divitiarum Dei nobilissimum triclinium. Millies, & millies benedico & saluto te, in divina bonitate, quâ es fons & origo, ex qua omnis bonitas & misericordia scaturit. O nobile & pretiosum Cor Jesu Christi, per mutuam gratitudinem colendæ Trinitatis saluto & adoro Te, in abundantia omnium gratiarum, quæ effluxerunt, & sine fine effluent in omnes sanctas & devotas animas, quas

toties irrigasti & inebriasti torrente divinæ voluptatis tuæ.

O Cor Jesu, Cor dulce! o Cor Jesu, cor suave! O Cor Jesu cor amabile! o Cor manans dulcedine, redundans pietate, supereffluens charitate! in tuam intimam medullam Immergo meum spiritum, & in profundo tuæ misericordiæ sepelio totum pondus iniquitatis & negligentiæ meæ Tibi offero omnes meos labores & sudores: Tibi dedico omnes meas angustias & miserias; Tibi commendo vitam & finem vitæ meæ, O Cor thymiama dulcissimum, incensum suavissimum, Sacrificium dignissimumq; Offer temetipsum super reconciliationis humanæ altare aureum, in supplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Benedico Te Cor Jesu nobilissimum in illo amore, quo à Spiritu Sancto, ex castissimo Mariæ Virginis Sanguine es

ne es creatum. Glorifico Te Cor Jesu dulcissimum in illo amore, quo à Sancta Trinitate omnibus cælestibus bonis es decoratum. Magnifico Te Cor Jesu mitissimum in illo amore, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror Te Cor Jesu benignissimum in illo amore, quo in Cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo Te Cor Jesu fidissimum in illo amore, quo lancea transverberari, Sanguinemq; & aquam distillare voluisti.

Te igitur, o super dignissima Trinitas, per illud superbenedictum Cor, laudo, glorifico & benedico, quod potueris, sciveris, atq; volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona, gratiarumq; abundantiam conferre: Et summo quo possum affectu & reverentia offero Tuæ Supremæ majestati idipsum Cor dulcissimum ac unicè dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine ac omnimodæ beatitudinis perfectione

superexcellens in perpetuum: Orans, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi & in omni neglexi bono. Amen.

PETITIO ad JESUM.

Ut ipse per Suam SS. Conversationem satisfaciat pro nostris excessibus. Ex exer: S. Gertr:

O JESV pientissime, plene pietate, & misericordiâ, qui nunquam spernis miserorum suspiria: ad Te confugio, tuam clementiam exoro. Tu pro me loquere, tu pro me supple: quoniam tibi confiteor universa peccata mea. Tu per puras clarissimorum oculorum Tuorum lachrymas, ablue omnes peccantium oculorum meorum maculas, Tu per dulcem benedictarûm aurium tuarum pietatem, ablue omnem peccantium aurium mearum iniquitatem. Tu per vividam dulcium verborum benedicti Oris tui potentiam, absterge omnem pollutionis mei

oris mei

oris mei offensam, Tu per operum tuorum perfectionem, manuumq; tuarum Crucifixionem ablue omnem impiarum manuum mearum offensionem. Tu per dolorosam benedictorum pedum tuorum fatigationem dirissimamq? perforationem ablue omnẽ peccantium pedum meorum maculationem. Tu per puram Sanctissimorum cogitatuum tuorum intentionẽ, ardentemq; transfixi cordis tui amorem, ablue omnem malarum cogitationum mearum, & criminosi cordis mei reatum. Tu per vitæ tuæ nobilem innocentiam puramq; sanctitatem, dele omnem corruptæ vitæ fæditatem. Tu demum per pretiosissimi Sanguinis Tui prænobile lavacrum, ablue, emunda & extingue omne cordis & animæ meæ piaculum: ut per sanctissima merita tua mundus inveniar, & deinceps immaculatus omnia mandata tua servare merear. Amen.

DIEI 2dæ HORA

Præparatio ad Mortem felicem.

Mortem quotidie ſuſpectam ante oculos habere Reg: c. 4.

Quidam Religioſus per efficatiam ſequentis Orationis, recta ad cælum migravit.

DOmine JESV per illam amaritudinem quam ſuſtinuiſti propter me in Cruce maximè quando anima tua benedicta egrediebatur de Corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo.

ORAATIO

Ad Vulnus Humeri Chriſti.

S. Bernardo dixit IESVS, omnibus qui hoc Vulnus colunt peccata venialia remittam, & mortalium non recordabor.

O JESV amantiſſime, Agne Dei manſuetiſſime, ego miſer peccator, ſaluto & veneror Sacratiſſimum Vulnus, quod in Humero tuo, dum gravem Crucis tuæ trabem portares, perſenſiſti: ob quod, ſicut & ob tria inde preminentia oſſa ſingularem do.

lorem

lorem, & cruciatum præ cæteris vulneribus tuis, in benedicto Corpore tuo ſuſtinuiſti. Adoro te, Jeſu afflictiſſime, & ex intimo corde laudo, benedico, vel glorifico te, gratiasq; ago pro hoc ſacratiſſimo pœnoſiſſimoque vulnere humeri tui, humiliter deprecans, ut ob nimium illum dolorem, quem illud tibi inflixit, miſerearis mihi peccatori; peccata mea venialia, & mortalia remittas, meque per viam Crucis tuæ ad cælum deducas. Amen.

O benigniſſime Domine JESV Chriſte per acerbiſſimam, & ignominioſiſſimam flagellationem, ac coronationem tuam, per Crucem & Paſſionem tuam, per omnem bonitatem tuam, humillimè precor, ne permittas me ſine Sacramentis morte repentina ex hac vita migrare.

Invitatio B. Virginis ad ſuum obitum.

SAcratiſſima Virgo MARIA, in illo

illo amore & fidelitate, quâ Filius tuus in Cruce pendens Te B. Joanni commendavit, commendo Tibi animam & corpus meum, cogitationes, verba & opera mea, vitam & mortem meam, maxime autem extremum illud, vitæ meæ momentum, à quo pendet æternitas. Et sic ut tu ad beatum tuum è terra exitum, Filium tuum invitasti, ita & ego ad exitum vitæ meæ te invito: rogans per amorem illum, quo Filio tuo morienti astitisti, perque amaras lacrymas; quas fudisti, quando Eum inclinato Capite amarissime exspirantem vidisti; & ut mihi maternâ benignitate Tua assistere, & nequaquam derelinquere velis; quia sine te nequaquam pie mori me posse confido. Ne degenes mihi, o Mater benignissima, petitionem hanc meam, quam a te devotissimo corde deposco, quia si sine te moriar, non immerito vereor, ne æternaliter peream. Quomodò enim

ego pauperculus & fragilis nimis in tam multiplicibus graviſſimiſq; hoſtium inſultibus ſubſiſtam, niſi mihi adfueris? Quomodo indiſtriſtiſſimo illo judicio Divino comparebo, niſi te mihi comitem & aduocatam exhibueris? Quomodo de peccatis meis innumeris, & omnem enormitatem ſuperantibus rationem reddam, niſi ut illa apud Filium tuum excuſes, eorumq; mihi veniam impetres. Inclina igitur aurem tuam precibus meis, ô Beatiſſima! & ob amorem Dilecti Filij in extremis meis mihi aſſiſte, ut ſub Tuâ protectione graviſſimis illis periculis erutus, ad Cæleſtia gaudia tecum pervenire valeam, Amen.

Sequentes Oratiunculas dicentibus B. Virgo Maria, ſe in hora mortis apparituram dixit S. Gertrudis l. de B. V. M. c. 10.

1. Ave Maria, &c. *uſq; ad illa Verba Sancta Maria Mater Dei.* Sicut DEVS Pater ſecundum Magnificentiam Omnipo-

mnipotentiæ ſuæ Te ſuper omnes creaturas exaltavit atq; potentiſſimam effecit; ita mihi quæſo adſis in hora mortis meæ, expellendo a me omnem contrariam poteſtatem. Amen.

2. Ave Maria, &c. Sancta Maria Mater Dei, Sicut Filius Dei ſecundum excellentiam inſcrutabilis Sapientiæ ſuæ tanta Te cognitione & claritate replevit, quod præ omnibus Sanctis majorem SS. Trinitatis cognitionem habeas, ita in hora mortis meæ animam meam cognitione Fidei ſic illuſtres, ne ullo errore aut ignorantia pervertatur. Amen.

3. Ave Maria &c. Sancta Maria Mater Dei, ſicut Spiritus Sanctus dulcedinem amoris ſui ita plenè tibi infudit, quod poſt Deum Dulciſſima & benigniſſima ſis: ita in hora mortis dulcedinem Divini a.ris mihi infundas, ex quo omnis

amari-

amaritudo mihi reddatur ſuaviſſima, Amen.

B. Gertrudis hanc a Domino percepit eruditionem, ut ad minimum quotidie Matrem ſuam Beatiſſimam per iſta dico verba, ſcilicet:

Eja ergo Advocata noſtra illos Tuos miſericordes oculos ad nos converte.

Invocaret, & certa quod per hoc in hora ſua noviſſima non mediocre ſolatium obtineret. l. 4. c. 53

Ad S. ANGELUM CUSTODEM

O Angele Cuſtos, qui in ſpeculo lucidiſſimo Deitatis, prævides pericula mea, lapſus, & occaſiones peccandi, adeſto precor ſupplicationibus meis, & dirige in viam bonam; ut non pœniteat te de cura mei, ſed gaudeas in æternum.

Ad S. JOSEPHUM.

O S. JOSEPH, qui in ſuaviſſimo JESV & dulciſſimæ Sponſæ Tuæ Mariæ complexu, ex hac vita emigraſti.

grasti. Succurre mihi ò S. Pater, cum Jesu & Maria tunc potissimum quãdo mors finem vitæ meæ imponet, illudq; (: quod unice peto :) solatium mihi imperra, ut in ijsdem Sanctissimis Jesu, & Mariæ brachijs exspirem! in manus Vestras vivens & moriens commendo spiritum meum. Jesus Maria Joseph vobis dono cor & animam meam.

Ad S. DISMAM
Oratio S. BIRGITTÆ.

BEnedictio æterna sit Tibi Domine Jesu Christe, qui existens in mortis agonia, omnibus peccatoribus spẽ de venia tribuisti, quando Latroni ad te converso. Paradisi gloriam misericorditer promisisti.

Ad S. P. BENEDICTUM:

S. Gertrudi S. P. Benedictus promisit se illis in morte auxiliô futurum, qui in vita frequenter eum admonuissent illius gloriosi obitûs, quod stans & orans animam exhalaverit.

Patri-

PAtriarcha gloriosissime S. P. BENEDICTE admoneo Te illius dignitatis, qua te Dominus tam glorioso fine dignatus est honorare quód ultimum spiritum tuum inter verba orationis efflaveris; ex quo adhuc tã suaviter spiras præ alijs Sanctis, quod omnes in afflatu tuo mirifice delectantur; rogans, ut in hora mortis meæ, tanta fidelitate mihi velis adesse, quod opponas te ex omni parte, quâ videris, insidias inimicorum nociviùs contra me sævire. ut tua præsentia munitus laqueos inimicorum evadam securus ac cæli gaudia petam sine fine beatus. Amen.

Ad S. BARBARAM.

AVe Martyr gloriosa Barbaraq; generosa, Paradisi vernans Rosa Castitatis lilium. Ave Virgo pulchra tota. Charitatis fonte lota, dulcis mitisq, devota vas virtuum omnium. Ave criminis ignara Sponsum audis voce clara: Veni pulchra, veni chara, ve-

ra, veni coronaberis: Ave Barbara serena, pulchra quasi luna plena, singulari cantilena Sponsum Agnum sequeris. Ave Barbara Beata: quæ cum Sponso præparata: Nuptiarum adoptata transivisti gaudia. Ave fulgens Margarita, in corona Jesu sita, tam in morte quam in vita, sis nobis propitia.

℣. Specie tua & pulchritudine tua
℟. Intēde prosperè procede & regna

Oremus.

INtercessio nos quæsumus S. Barbaræ Virginis & Martyris semper adjuvet; ut non subito moriamur, sed ante diem mortis nostræ Sanctissimi Corporis Sanguinis tui, sacriq; Olei unctionis Sacramentis salubriter muniamur, & ab omni malo protegamur & ad cælestia regna perducamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, &c.

Ad S. LVCIAM.

AD Te S. LVCIA Virgo & Martyr Christi confugio, deprecans, ut illum

ut illum misericordiæ sinum pro me invoces, qui te liberavit de incendijs flammarum, quando resina & pice ferventi oleo fuisti perfusa, & etiam te faciebat esse quasi montem immobilem, usq; dum acciperes Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ut totum desiderium tuum adimpleretur per ista & multa alia miracula, quæ per te dignatus est ostendere. Obsecro te ut impetres mihi à Domino ut in hora exitus mei accipere merear eandem gratiam Corporis & Sanguinis sui, cum purà devotione, ac sincera invocatione Nominis sui gloriosi ac benedicti. Qui vivis & regnas, &c.

INVOCATIO SANCTORUM.

VOs in hac hora invoco omnes Angelorum atq; Hominum Sanctos Ordines, Dominos atq, Patronos meos. Præcipue verò, ac nominatim eos quibus Professione associatus sui, quos peculiariter dilexi,

quos media prædestinationis habui; quos mihi Patronos, ac Sodales Divina Providentia dedit ac fecit: quos nemo nominatim honorat, & invocat, quibus æterna in gloria, à Dei gratia sociandus sum.

Orationes pro Infirmis.

Infirmorum cura ante omnia habenda est. Reg: c. 36, *B. Gertrudi dixit Christus: duo tantum verba devoto corde dic pro illo (ut sequitur.) & quoties hæc verba replicaveris, toties augebitur tam meritum tuum, quam infirmi.* l. 3. c. 37.

DOmine JESU, per amorem, quo languores nostros tulisti, & dolores nostros portâsti, rogo, ut illi infirmo conserves patientiam: & ut singula momenta, per quæ passurus est, perducas ad gratiorem laudem tuam, & ad utiliorem ejus profectū, secundum qnod charitas ab æterno præordinavit, in corde tuo Paterno ad æternam ipsius salutem. Amen.

Chri-

Christus S. Mechi: docuit dolorem offerendi sic l. 2. c. 32.

O Dulcis Amor, hanc puncturam offero, & commendo tibi tali intentione, quali eam de Corde JESV mihi detulisti, rogans, ut eandem cum summa gratitudine consignes.

Resignatio Infirmi.

S. Gertrudi infirmæ dixit: sicut passio mea ineffabiles fructus operata est, sic & infirmitas tua. Si eam mihi (ut sequitur) commendaveris. l. 2, c. 31.

Amantissime JESV hanc infirmitatem (vel afflictionem) meam, quam è Paterno Corde tuo in signum amoris tui mihi misisti promptissima voluntate suscipio; & tali charitate, qua eam mihi immisisti cum gratitudine eandem tibi offero. Omnem igitur dolorem, & pressuram meam, in Sacratissimum Cor tuum depono, rogans, ut eandem amarissimæ Passioni tuæ unire, & intrahere; atq; per eam perficere digneris. Et quoniam

propter multitudinem dolorum, & afflictionum mearum, te ut par est laudare nequeo; ideo tu eadem laude, quà in Cruce, in maximis cruciatibus tuis Patrem laudasti, eum pro meis doloribus lauda. Et sicut eidem ex tota virtute Cordis tui gratias egisti, pro omnibus pœnis, & contumelijs ab eodem tibi immissis, ita & eidem pro meis doloribus gratias age. Et demum eodem amore, quo omnia vulnera, & opprobria suscepisti, Patri tuo cum summa gratitudine obtulisti, ita eidem hanc internã, & externam afflictionem meam, una cum Sanctissima Passione tua offer ad æternam laudem suam. Amen.

Apparuit defunctus papa & suo Satellano dixit: quod virtute Orationum harum à Christo deleta sint peccata ejus, atq; cum eo cœlum intraverit. Barth ab Angelis.

ORATIO PRIMA

Kyrie eleison. Christe elieison. Kyrie

Pater noster. Ave Maria.

Domine

DOmine JESV Christe, deprecor Te per tuam Sanctam agoniam, atquè devotissimam Orationem, quam in monte Oliveti orasti, quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, ut eundem sudorem sanguineum, quem præ timore mortis tam copiose sudasti cælesti Patri tuo offerre & ostendere digneris, contra multitudinem peccatorum hujus infirmi. Et velis eum in hac hora obitus sui liberare, ab omnibus angustijs, & pœnis quas pro peccatis suis se timet meruisse. Amen.

ORATIO SECVNDA.

Kyrie eleison &c. Pater noster. Ave M.

DOmine JESV Christe, qui pro salute mundi in dura Cruce mori dignatus es, deprecor te, ut amaritudinem illam, quam in eadem sustinuisti, præsertim quando Sacratissima Anima tua, egressa est de Benedicto Corpore tuo, cœlesti Patri tuo offerre, & ostendere digneris, pro pec-

catrice anima hujus infirmi; eumquê in horâ mortis suæ liberare ab omnibus pœnis & Cruciatibus, quos pro peccatis suis se timet meruisse. Amen.

TERTIA ORATIO,

Kyrie eleison, &c. Pater noster. Ave M

DOmine JESV Christe, qui per Prophetam tuum dixisti, In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui: rogo te per amorem illum, qui te de cœlis ad terram ad patiendam omnem miseriam traxit, cœlesti Patri tuo offerre, & ostendere digneris pro anima hujus infirmi; eamque liberare ab omnibus pænis, & cruciatibus, quos pro peccatis suis se timet meruisse. Adsis ei pie Jesu, in hac hora mortis suæ, aperi ei januam vitæ, & perduc animam ejus in Paradisum exultationis ubi te laudet per infinita sæcula. Amen.

ORATIONES

Pro Defunctis.

REspice pie Pater de sede magnitudinis

tudinis tuæ ad miſeras animas in purgatorio detentas. Reſpice pœnas, & cruciatus, quibus tam miſerabiliter torquentur; conſidera gemitus, ac lachrymas quas ad te fundunt: audi preces, & ſupplicationes, quibus miſericordiam tuam implorant, & eſto propitius peccatis eorum. Recordare pijſſime Pater pœnarum, quas Filius tuus pro eis ſuſtinuit: memento copioſiſſimi Sanguinis, quem pro eis fudit: reminiſcere acerbiſſimæ Paſſionis, & mortis, quam pro eis ſubijt, & miſerere earum. Pro omnibus peccatis, quæ unquam perpetrârunt, offero tibi Sanctiſſimam vitam, & converſationem Filij tui dilectiſſimi: pro ipſorum negligentijs, offero tibi ferventiſſima ejus deſideria; pro omiſſionibus bonorum operum, offero tibi ejusdem meritorum abundantiam: pro omni injuria tibi irrogata offero omne, quod tibi exhibuit beneplacitum. Demum pro omnibus pœnis,

quibus obnoxij detinentur, offero tibi omnes pœnitentias, jejunia, vigilias, orationes, labores & afflictiones, vulnera, labores, passionem & mortem. quam innocentissime, prõptissimeque sustinuit, rogans, ut per hæc placatus ad gaudia eos æterna perducas. Miserere pijssime Jesu animabus in purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam naturam ássumpsisti, mortemque amarissimam subijsti. Miserere gemituum, miserere lachrymarum quas ad te fundunt, & per virtutem Passionis tuæ condona eis pœnas peccatis ipsarum debitas. Descendat, pijssime Jesu, Sanguis tuus in purgatorium, & recreet, refrigeretque omnes ibi captivos ac patientes. Porrige eis dexteram, & duc eas in locum refrigerij, lucis ac pacis. Amen.

Oratio ad ipsos Defunctos.

MIsereatur vestri, ô afflictissimæ Animæ, Jesus Christus pro vobis

mortuus

mortuus & crucifixus, & per aspersionem Sanguinis sui refrigeret vos in tormentis vestris. Commendo vos illi excessivo amori, qui Filium Dei traxit de cælis, & amarissimæ morti subjecit in terris: ut illa pietate vestris pœnis compatiatur, qua in Cruce pendens omnibus afflictis est compassus. Et in plenum refrigerium offero vobis omnem filialem affectum, quem idem Christus Jesus habuit ad Patrem in divinitate, & ad Mariam Matrem in humanitate. Amen.

Hujus oblationis efficaciam vide in Rev: S. Gertr: l, 5. c. 3.

ORATIO DOMINICA.

S. Mechtildis, cum sic orasset, vidit magnā multitudinem animarum ad cælum ascendere. l. 5. c. 25.

Pater noster qui es in cælis. Obsecro digneris animabus in purgatorio ignoscere, quòd te suum venerandum dilectumque Patrem, qui eas ex mera gratia in filios adoptâsti, non

dilexerint, nec debitum honorem exhibuerint, ſed è ſuis cordibus in quibus habitare ſemper deſiderabas, ejecerint. Et in ſuppletionem hujus culpæ ipſorum offero tibi illum amorem & honorem, quem dilectus Filius tuus in terris tibi exhibuit: illamq; copioſam ſatisfactionem, quâ omnia ipſorum peccata perſolvit. Amen.

Sanctificetur Nomen tuum. Obſecro tē pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoſcere, quod ſanctum Nomen tuum nunquam dignè honoraverint, rariuſque ejusdē devotè recordati fuerint, ſed ſæpiùs id ipſum in vanum aſſumpſerint, atque per turpem vitam ſuam Chriſtiani Nominis ſe indignos reddiderint. Et pro ſatisfactione hujus peccati offero tibi perfectiſſimam Filij tui ſanctitatem, qua benedictum Nomen tuum prædicando exaltavit, & in omnib9 ſanctiſſimis operibus ſuis honoravit, Amen.

Adveniat Regnum tuum. Obſecro te pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoſcere, quòd te, regnumq; tuum, in quo ſolo conſiſtit vera requies, æternaque gloria, nunquam cũ fervore deſideraverint, nec ſtudiosè quæſierint. Pro qua ipſorum acedia quam in omni bono habuerunt, offero tibi Sanctiſſima Filij tui deſideria, quibus voluit eos eſſe Regni ſui cohæredes, Amen.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Obſecro te pie Pater digneris animabus defunctorum, maximè verò animabus Religioſorum ignoſcere, quod voluntatem tuam ſuæ non propoſuerunt, nec eandem in omnibus dilexerunt, ſed valde frequenter ſecundum voluntatem ſuam vixerunt, & fecerunt. Et in emendationem hujus ſuæ inobedientiæ, offero tibi unionem dulciſſimi Cordis Filij tui cum tua voluntate: ſicut & promptiſſimâ ejus obedientiam, quâ tibi obediens

fuit usque ad mortem Crucis. Amen.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Obsecro to pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoscere, quod nobilissimum Altaris Sacramentum non cum integro desiderio, devotione, & amore susceperint; sed multæ earum se planè ejusdem indignas reddiderint: & multæ id ipsum rarò, aut planè nunquam susceperint. Pro quo earum peccato, offero tibi maximam Filj tui sanctitatem. & devotionem, sicut & ferventem ejus amorem, & ineffabile desiderium, quo hunc pretiosum thesaurum nobis donavit. Amen.

Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Obsecro te pie Pater digneris animabus defunctis ignoscere omnia peccata, quæ commiserunt in septem peccatis capitalibus: maximè quod ijs qui eas offenderant ignoscere noluerint, nec inimicos suos dilexerint. Pro omnibus

bus peccatis offero tibi ſuaviſluam orationem, quam Filius tuus in Cruce pro inimicis ſuis oravit. Amen.

Et ne nos inducas in tentationem. Obſecro te pie Pater, digneris animab9 defunctorum ignoſcere, quod vitijs & concupiſcentijs non reſtiterint, ſed ſæpius diabolo, & carni ſuæ conſenſerint. & multis malis ſponte ſe irretierint. Pro quibus multiplicibus peccatis, offero tibi glorioſam Filij tui victoriam, quâ mundum & diabolum devicit: ſicut & totam Sanctiſſimam ejus vitam, & converſationem, cum omni ſuo labore, & defatigatione, amariſſimaq; paſſione & morte ejus. Amen.

Sed libera nos, & ipſas ab omni malo, Omnique pœna, per dilecti Filij tui merita, & perduc nos ad regnum gloriæ ſuæ, quod tu ipſe es. Amen.

DIES III.

SSmo P. N. BENEDICTO Sacra.

Revelatum est S. Mechtildi à Christo Dno. de S. P. N. Benedicto, & Ordine Ejus: Ad justos habet se per auxilium, ad peccatores per compassionem, ad pauperes per sustentationem: ad tristes per consolationem, ad animas fidelium per liberationem lib: 1. c. 43.

Audit Hugonis Capeti Regis Francorum morientis mandatum Filio suo datum: O optime Fili! per Sanctam & individuam Trinitatem obtestor te, & specialiter inculco, nullo pacto Ducem omnium, Patrem dico Benedictum, à Te patiaris divelli, illum apud communem Iudicem, salutis Asyllum, tranquillitatis portum. postq; carnis obitum scias esse securitatis asillum. Baron ad A. D. 1029. *Huc igitur (ut Goffridi Vindocinensis utar verbis) Beatissimum Virum præcordiales amici, & fratres, corde & ore, supliciter exoremus, quatenus Pater, Pastor, Medicus, & Magister sic noster esse dignetur, ut pia Paternitate nos nutriat ani,*

at, animas nostras pascat pane virtutum. vulneribus peccatorum. & criminum nostrorum medeatur, ut sic edocti quæ bona sunt operemur, & ad ipsum pervenire mereamur.

ORATIO.

S, Stephani III. Papæ Max:

SAlve Pater BENEDICTE Christi Domini Discipule. Salve Altissimi Sponsi Amice. Salve Prædicator veritatis, Doctor Gentium. Salve Pater Abbatum. Salve Archimandrita universalis, salve Columna totius Christianitatis, Hi sunt Filij tui imo omnium Nationum, tui sunt Filij è quos per Evangelium Christo genuisti. Hi sunt Filij in spiritu, filiorum tuorum, tuus est populus, tam Reipublicæ Ecclesiasticæ, quam sæcularis Romanæ, imò totius mundi, tui sunt hi Reges, & totius mundi Monarchæ; tua est Lateranensis Ecclesia, in qua educatus, & ad quam ædificato Monasterio ipsius Rector extitisti,

extitisti, ex qua multi Pontifices prodiere, & ubi perpetuam laudem constituisti. Tu felicissimè Romæ scholas aperuisti, juventutem educasti. Tua est Ecclesia hæc, tuum Monasterium, in quo spiritu & corpore requiescis. Ne derelinquas nos Beatissime Pater, ne de grege tuo separemur. Esto Sedis Apostolicæ Protector & Patronus, Romani Status, & omnium ad te corde, & affectu fugientium, eosq; ab hostibus visibilibus, & invisibilibus tuearis. Et ad Dominum Jesum Christum, pro grege ejus, & tuo intercede, ut tua intercessione hic & in æternum lætentur: Amen.

Alia Oratio.

O Monarchorum Patriarcha, & & Patrone mi dilectissime, cujus me directioni, cujus educationi increata commisit sapientia, sub cujus Vexillum ad æternæ salutis merenda stipendia divina concredidit bonitas, & de cujus ad extremum manibus in

fine

fine vitæ meæ ventura est justitia. Ad Te Patrem amabilem confugio, per amorem divinum obtestor ut cor meum, sensusque meos ad beneplacitum & velle Dei Omnipotentis dirigas, ut in disciplina Religiosa, in observantia votorum meorum indies proficiam, & te Pastorem meum vestigijs humilitatis, patientiæ, & charitatis indefesso conâtu sequi valeam, & de hac fragili miseria. cum debita pænitentia, ac tuo Paterno comitatu decedere. & usque ad amæna Paradisi gaudia te Duce, te præcursore pervenire merear. Amen.

CRATIARUM ACTIO.

Pro omnibus donis Ordini S. P. Benedicti à Deo collatis

Christus Dominus S. Gertrudi dixit, hanc quicunque sæpe recitaverit, non decessurum ex hac vita donec singularem gratiam à Deo obtineat. l. 2.

DUlcissime JESU glorifico te, &

qua

qua possum devotione gratias ago pro omnibus beneficijs Religioni (meæ) S, Patris Benedicti collatis, & præcipue in Patre meo BENEDICTO, quem caput, & Ducem hujusS. Religionis constituisti, & talibus gratijs cumulasti, ut viventi, & in mortali corpore existenti Deitatis tuæ visionem concessisti, gloriosa morte vitam ejus conclusisti. Erga ejus Ordinem copiosam gratiam ostendisti, dum quinque ei Privilegia ex ore tuo Sanctissimo concessisti. Tot meritis Sanctorum Martyrum, Pontificum, Abbatum, Confessorum, Eremitarum, Virginum, Electarum ditasti. In quibus, singulariter elucet amore tuo superabundans S. Gertrudis Sponsa tua amabilis. Pro quibus beneficijs omnibus præstitis tam huic Sanctæ quam alijs sis benedictus & laudabilis in sæcula.

Per hunc igitur amorem tuum, erga hunc Ordinem, & Sanctam hanc;

quam

quam à sæculis ad singularem gratiam, ex multis alijs elegisti, & tempore tibi placito vocasti, & intime unisti, quinque Vulnera tua Sanctissima in corde ejus ignito amore expressisti, tibi placitam mansionem in anima ejus fecisti, & finem vitæ ejus beato fine condecorasti. Peto te miserere mei, & omnium in Ordine Sancto hoc, viventium; fac nos placitos Majestati tuæ, ut per intercessionem omnium Sanctorum, perducere ad vitam æternam, & inter Sanctos numerare digneris. Amen.

OFFICIUM

Sanctissimi ac DEO acceptatissimi Monachorum Ducis, & Benignissimi Patris

BENEDICTI.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣.

℣. Deus in adjutorium meum intende
℟. Domine ad adjuvandum me festina
Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, &c.

Hymnus.

AUrora surgit aurea;
Festa restaurans annua
Cum BENEDICTUS arduum
Cœli scandit Palatium.
Quanta in summis accipit,
Qui sic inimis claruit,
Cujus micant prodigia,
Per ampla mundi climata!
O Sacrosancta TRINITAS,
Sit Tibi laus & gloria,
Qua Benedictus fruitur,
Per infinita sæcula. Amen.

Antiphona.

Fuit Vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & Nomine, qui ab ipso pueritiæ suæ tempore Cor gerens senile, ætatem moribus transiens, nulli animum voluptati dedit.
℣. Ora pro nobis S. Benedicte.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

DEUS qui Beatissimum Patrem ac Legislatorem Nostrum, abstractũ à mundi turbinibus Tibi soli militare jussisti, tribue nobis sub Ejus Magisterio Tibi servientibus perseverandi constantiam, & perfectam usq; in finem victoriam. Per Dominum &c.

AD PRIMAM.

Hymnus.

SIgnifer invictissime,
Sacræq; Dux militiæ.
Nos Benedicte valido
Precum defende brachio.
His armis execrabilem,
Leonis vince rabiem,
Quibus olim teterrimam
Pellis ab ore merulam.
O Sancrosancta, &c.

Antiphona.

Tantam gratiam B. Benedictus virtutis Dominicæ habuit, ut sub uno

solis

ſolis radio totum mundum collectum conſpiceret.

Oratio ut ſuprt.

AD TERTIAM.

Hymnus.

VRticæ junctæ vepribus
Vulnus curat vulneribus
Flammata mens divinitus
Ignem extinguit ignibus.
Crucem mittens ut lapidem
Veneni frangit calicem
Non valet mortis vaſculum
Vitæ ferre ſignaculum.
O Sacroſancta, &c.

Antiphona.

Erat Vir Domini Benedictus vultu placido, moribus decoratus Angelicis, tantaq; circa Eum claritas excreverat, ut in terris poſitus, in Cæleſtibus habitaret.

Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM.

Hymnus.

FRater quem tunc nequiſſimus;
Vagum raptabat Spiritus;

Grátulemur omnes illi
Summi magni, ac pusilli
Tota mundi machina.
Vivat regnet honoretur,
Exaltetur adoretur
Patris nostri Sanctitas,
Et Tu Pater fac cor meum
Ne sit durum contra Deum
Moliatur cælitus.
In spe fide confirmetur
Charitate inflammetur
Renovetur penitus,
Ad me quæsó condescende
Et in me Pater accende
Sanctitatis radium.
Doce me viam salutis
Muni Galea virtutis
Dona Te in præmium.
Fac me pium, fac me castum
Omnem de me pelle fastum
Cuncta tolle crimina.
Esto in exitu mortis
Animæ Patronus fortis
Placa astra Divina.

Fac in DEO salutari
Tecum nobis collætari
In æterno gaudio.
Dona nobis quod poscimus
Te rogamus uti simus
Tuo in Præsidio.

LITANIÆ
De
S. P. N. BENEDICTO.

KYrie ele son. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos,
Pater de cælis DEUS
Fili Redemptor mundi DEUS,
Spiritus S. DEUS.
Sancta Trinitas unus DEUS. Miser. nob.
S. MARIA. Ora pro nobis,
S. Dei Genitrix. Ora pro nobis.
S. Virgo Virginum, Ora pro nobis.
S. Maria Speculum Monasticæ perfectionis. Ora pro nobis.
S. Pater Benedicte. Ora pro nobis,
S. B. Amator castitatis. Ora pro n.
S. B. Amator patientiæ, Ora pro n.

S. B. Amator omnium virtutum.
S. B. Bone Consolator afflictorũ.
S. B. Benigne Dilector proximorũ.
S. B. Custos Fratrum tuorum,
S. B. Imitator JESU Christi.
S. B. Amator Crucis.
S. B. Contemptor mundi.
S. B. Calcator sæculi.
S. B. Contemp-tor mundanarum voluptatum.

Ora pro nobis.

S. B. Profligator Cacodæmonum.
S. B. Dux Sacræ militiæ.
S. B. Auctor Religionis.
S. B. Instaurator vitæ Monasticæ.
S. B. Doctor disciplinæ.
S. B. Speculum perfectionis.
S. B. Stella Religionis.
S. B. Decus Ecclesiæ Catholicæ.
S. B. Regula Paupertatis.
S. B. Flos castitatis.
S. B. Magister obedientiæ.
S. B. Magister discretionis.
S. B. Exemplum Humilitatis.
S. B. Norma abstinentiæ.

Ora pro nobis.

S. B. Præceptor taciturnitatis.
S. B. Flos pietatis.
S. B. Flos Religiositatis.
S. B. Flos sanctitatis.
S. B. Decor totius honestatis.
S. B. Lux Devotionis.
S. B. Lux Orationis.
S. B. Lux contemplationis.
S. B. Exemplum Fratrum tuorum.
S. B. Exemplum Religiosorum.
S. B. Exemplar virtutum omniũ.
S. B. Templum S. Spiritus.
S. B. Protector ad Te clamantiũ.
S. B. Protector tui Ordinis.
S. B. Patriarcha Monachorum.
S. B. Pater tuorum Devotorum.
S. B. Resuscitator mortuorum.
S. B. Operator miraculorum.
S. B. Assecla Patriarcharum.
S. B. Compar Prophetarum.
S. B. Sectator Apostolorum.
S. B. Similis Martyrum.
S. B. Gemma Abbatum.
S. B. Imitator Anachoretarum.

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

S. B. Gloria Confessorum.
S. B. Consors Virginum:
S, B. Collega Sanctorum omniũ.
S. B. Victor, Triumphator tentationum.
S. B. Victor & triumphator mũdi,
S, B victor & triumphator dæmonum.

Ora pro nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine,
Propitius esto. Exaudi nos Domine.
A prævaricatione mandatorũ tuorum. Libera nos Domine.
A transgressione votorũ nostrorum.
Ab incursu omnium malorum.
Per S. Conversionem S. Benedicti.
Per exemplarem vitam ejus.
Per Sanctam paupertatem ejus.
Per mundissimam castitatem ejus.
Per profundam humilitatem ejus.
Per ferventissimas orationes ejus.
Per merita & intercessionem ejus.

Libera nos Domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut perfectum amorem tuum, effun-

dere, & in nobis conſervare di-
gneris.

Ut fraternam charitatem in nobis fovere digneris.

Vt mundi illecebras, & carnis voluptates in nobis domare digneris.

Vt perfectam mortificationem ſenſuum & propriæ voluntatis noſtræ nobis donare digneris.

Vt veram converſionem morum ſecundum Regulam S. Benedicti nobis largiri digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt diſciplinam Monaſticam augere & conſervare digneris.

Vt continuum in virtutum acquiſitione profectum nobis concedere digneris,

Vt Ordinem tuum amplificare, & tueri digneris.

Vt perſeverantiam in tuo S. ſervitio nobis donare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt in hora mortis noſtræ per merita S. Benedicti nos protegere, & ad vitã æternam perducere digneris. Te rogamus audi nos.

[illegible] Deus F[illegible] audi nos

Filii DEVS dulcissime. Exaudi nos, Spiritus S. DEVS Benignissime. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos, Kyrie eleison.
Antiph: Sanctissime Confessor Domini Monachorum Pater, & Dux Benedicte, intercede pro nostra omniũq; salute.
℣. Ora pro nobis S. Pater Benedicte.
℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEVS, qui per gloriosa S. Benedicti Abbatis exempla humilitatis nobis triumphale ostendisti iter, da quæsumus, ut viam placitæ tibi obedientiæ, per quam Venerabilis hic Pater antecessit illæsus, nos præclaris meritis ejus adjuti sine errore sequamur.

Excita quæsumus Domine in Ecclesia tua Spiritum, cui B. Benedictus Abbas servivit, ut eodem nos repleti studea-

studeamus amare quod amavit, & opere exercere quod docuit. Per Dominum nostrum J. C. Amen.

Ad B. Patrem Filialis recommendatio.

O Alme Pater BENEDICTE Monachorum Dux & Monarcha, spes & solatium omnium ad Te toto corde clamantium: tuæ Sanctissimæ protectioni humiliter me commendo, ut propter excellentiam meritorum tuorum, ab omnibus quæ contraria sunt animæ meæ defendere me digneris, atq; de pietatis tuæ abundantia compunctionis & lachrymarum gratiam mihi impetres, ut dignè & copiosè valeam tanta mala, & offensas plangere, quibus à juventute mea, amabilem, & desiderabilem Dominum Jesum Christum provocavi frequentius. Teq; digne laudare & venerari merear. O oliva! o vitis nimium in Domo Dei fructifera! o Vas auri solidum omni ornatum lapide pretioso, secundum Cor Dei, electum, & dulcissimum,

innumerisq; gratiarum charismatibus, tanquam gemmis corruscantibus decoratum! Te oro, Te rogo. Tibi Toto cordis affectu, ac omnibus animæ desiderijs benignissime Pater, dulcisq; Magister supplico, ut mei miseri peccatoris memor esse digneris apud Deum, ut peccatis meis benignus indulgeat, meq; in bono conservet, nec à se unquam discedere aliqua necessitate permittat, sed ad Beatorum consortium visionemq;, ejus delectabilem post te Pater admittas, ubi tecum, cum illo Monachorum cœtu maximo sub tuo Vexillo posito gaudere perpetuo possim, ipso Deo, ac Domino nostro JESV Christo præstante. Qui vivit & regnat in sæcula Amen.

MODVS
Sæpe renovandi Professionem.

Cum S. Mecht: conquesta coram Domino quod non tanta illi servisset fidelitate, Cui Christus. Si vis renovare desponsationem, accede ad Pedes meos gratias agens, o-

rans ut meâ perfectissimâ innocentia, quidquid in te vitiatum est emendetur, & post renovationem induit eam Dominus veste virtutum suarum, capiti diademma imposusuit, & strinxit eam amplexibus. l. 2. c. 9. l. 4. c. 3.

Quotiescunq; enim Religiosus suæ recordatur Professionis & hanc factam esse gaudet. adeo ut si illam non fecisset, adhuc Dei amore motus faceret indulgentiam suorum peccatorum omnium plenam assequitur. Quia cum Religiosus in Professione Indulgentiam omnium peccatorum acquirat, ita quotiescunq; gaudet se fecisse Professionem indulgentiam plenariam absq; dubio consequitur. Dionis: Carthus: Bernardinus & Alex: Halen:

GRatias tibi ago Domine JESV Christe pro gratia illa singulari, qua me vilissimum peccatorem in hoc Religiosissimo Ordine ad solenñē Professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quòd gratiæ huic non satis respondeřim, & tanto bneficio fuerim ingra-

ingratus. Deteſtor omnes negligentias, in hoc ſtatu commiſſas, & quod tam parum ad ejus perſectionem aſpiraverim. Ignoſce mihi Deus veniæ Largitor, & humanæ ſalutis amator, & da, ut vel nunc tandem, tuâ gratiâ incipiam, quod equidem ex animo cupio & propono. Quod ſi me votis tuæ Majeſtati necdum obſtrinxiſſem, nunc ſane id facerem, ideoq; quantâ devotione poſſum, illa nunc renovo, & novo fervore tibi promitto; Stabilitatem, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti. Verùm tamen quia ad hæc implenda, me nimis tepidum, & infirmnm agnoſco: rogo te miſericordiſſime Jeſu, ut qui dediſti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem, meq; ita dirigás, ut non mihi, ſed tibi ſoli vivam, omneſq; Ordinis obſervantias, & quidquid animæ perfectionem promovere poſſit, ſummó
 ſtudio

studiô amplectar, ad gloriam Nominis tui qui es DEVS benedictus in sæcula. Amen. *Ex Haffteno.*

℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

℟. A templo Sancto tuo quod est in Hierusalem;

Oratio.

DEVS qui nos á sæculi vanitate conversos ad bravium supernæ vocationis accendis pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ in te perseveremus infunde; ut protectionis tuæ muniti præsidijs, quod te donante promisimus impleamus, & nostræ Professionis executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus, Per Christum Dominũ nostrum, &c.

SEPTENNAM

Ad S. P. Benedictum absolventi hæc observanda.

1mo. Diebus Lunæ, vel jejunabis, vel abstinen-

abstinentiam facies, vel aliquod opus pium ad suplendum defectum perages.

2do. Diebus Martis ad S. Synaxim accedes: vel primo & ultimo id præstare teneberis.

3tio. Operam impendes ipsum imitandi in earum virtutum exercitio, in quibus singulariter excelluit.

4to. Ecclesiam visitabis, Officium vel 7. Pater & Ave recitabis, Deumq; placabis pro toto ejus Ordine, Cultumq; alijs ejus persuadebis.

5to. Crebrius ipsum amicabili pij Patris titulo invocabis, ut ipse in Filium suscipiat. & ab omni malo animæ, & corporis incursione maxime in hora mortis protegat suspiria addes.

SUPPLICATORIÆ
Ad S. P. Benedictum pro virtutibus impetrandis in septẽ ferijs ejus.

Pro 1ma. Seraphine terrestris! qui in Materno Utero exultare, & psallere es

re es auditus? Non potui Deum amare & illum benedicere antequam nascerer, fac ut saltem nunc, & in æternum totus dulcedine Divini amoris plenus, totus flammâ Divinæ Charitatis incensus diligam Deum ex toto corde totisq; medullis præcordiorum meorum misericordias ejus concinam.

Pro secunda. Cælestis inter homines Angele! qui è visæ à te olim fæminæ recordatione, immundum spiritum fædis tibi cogitationibus importunum inter urticas & spinas volutatus repulisti, & tamdiu Corpus tuum senticeti aculeis laceravisti. donec nesciret insidiator, lilijs an rosis irasceretur; cum innoxia inter spinas lilia efflorescere frondens conspiceret; impetra mihi Cor tuum candidum, totum lilium, impetra mihi victoriam de mundo, carne, & diabolo.

Pro 3tia. O felicissimi & flammei cordis Vir! qui Discipulorum quendam orationis tempore, mente sponte va

te vagum, per fimbriam vestis è templo foras à nigro puero trahi vidisti, eidemq; orationis spiritum impetrasti, impetra ne me unquam irretire possit dæmon; ut deniq; non tradat bestijs animam hanc meam confitentem sibi Deus meus.

Pro 4ta. O Thaumaturge! cujus imperio aquas pede sicco calcavit tuus discipulus Maurus. Qui bibiturus, facto pro more, super vasculum Crucis signo, illud vi Divina fractum, ne venenum biberes vidisti. Qui rogatu cujusdam Parentis Filium ejus resuscitasti: Roga obsecro Jesum; ut lætitiam Angelis Dei creet mea mors non vero dæmonibus: ut in Templo Sancto gloriæ Deum meum una tecũ benedicam, æternum benedictus.

Pro 5ta. Sancte mi! & in Altissimo gloriæ throno à Deo collocate Vir! qui Sanctæ Scholasticæ Sororis Tuæ & postea S. Germani Episcopi animã in Cælum abeuntem aspexisti; assume

ani-

animam meam, ut in morte a corde meo abeat ad te itinere Sancto.

Pro 6ta. Martyr amoris Dei, qui ſcriptis Divina Sapientia pleniſſimis legibus, miraculorum gloria celeberrimus vatidico ſpiritu multa præſagigiens, ſumpto viatico, præ mortua Corporis per auſteritates exhauſiſti membra, in parato tumulo inter manus & lachrymas diſcipulorum placidiſſimè compoſuiſti. Veris pœnitentiæ ac amoris lachrymis cor meum imbue, ut Sancta vere amantium morte moriar. Impetra mihi Spiritum veri amoris Dei, qui corpus meum mortificatione aſſiduâ, & animã oratione perpetua Deo ſacrificet.

Pro 7ma. O Dilecte Domini BENEDICTE! cujus anima fulgentibus circum lampadibus pretioſiſſimo pallio velut Sponſa ornata viſa eſt abire in Cælum, & vox audita eſt. Hæc eſt via quâ dilectus Domini BENEDICTVS aſcendit. Qui hoc tuo die,

Sanctæ

Sanctæ Tuæ Filiæ Gertrudi apparui, sti, totus offerescentibus ex Te rosis undiq; corpore toto vernans. Ora pro pigro hoc, & ad dura pro æternite sustinenda, delicato nimis corpore meo. Patiatur nunc, ne patiatur in æternum, Currat quo anima, quo Deus vult, ut Cælum non infernum comprehendat. Idem etiam nunc oro, quod in solenni oratione ad Te clamant alumni Tui; ut excites in me spiritum illum excellentissimum, quo Tu calcáre mundum, mortificare carnem, subjugare infernum didicisti ac docuisti: ut eodem repletus, Sanctissimam Regulam tuam fideliter observem. virtutes tuas imitari studeam, dæmonum insidijs viriliter resistam, & te juvante feliciter moriar.

HORA SPECIALIS.

Præparatio ad Sacram Confessionem & Communionem.

Deum

Reum se omni hora de peccatis suis existimans. S. Reg: c. 7.

Cogitationes malas, cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere, & seniori spirituali patefacere. S. Reg: c. 4.

Cum B. Gertrudis, hanc Confessionem fecisset, apparuit ab omni macula peccati mundata. l. 4. c. 39.

ECce Domine mi, ego indignus peccator fateor, eheu cum dolore, ex humana fragilitate, me contra tuam divinam Sapientiam, per ignorantiam diversimodè peccasse, nec non & tuam inæstimabilem benignitatem me multis modis malitiose irritasse. Ergo Pater misericordiarum miserere mei, & da mihi de tua Omnipotentia vires resistendi omnibus, quæ tibi sunt contraria, & de tua inscrutabili Sapientia, da mihi caute prævenire omnia, quæ oculos tuæ puritatis, in me offendere possent: Atq; ex superabundantia pietatis tuæ concede mihi, tam stabili fideliiate tibi adhærere,

ut nun-

ut nunquam vel in minimo a tua voluntate diſcordem. Amen.

Ex Revelatione S. Gertr: l. 4. c. 17. Sequens Oratio eſt efficaciſſima meritoq́; ſæpius iteranda

PIiſſime JESV, ſecundum quod ex inſcrutabili Sapientia tua perſpicacius cognoſcis defectum humanæ fragilitatis, quam vel ego, vel quiſquam hominum cognoſcere poſſit: ideo rogo ut meæ multiplici fragilitati, multipliciter compaſſus, univerſalem meum velis ſupplere defectum. Offer ergo pie Jeſu dulciſſimo Patri tuo abſtinentiam digniſſimam Sanctiſſimi Oris tui in veram emendationem, & ſuppletionem omnium, quæ unquam per inutilem ſermocinationem deliqui aut omiſi. Offer illi etiam bone Jeſu abſtinentiam Sanctiſſimarum Aurium tuarum, pro omnibus delictis aurium mearum. Abſtinentiam quoque Oculorum tuorum offer ei, pro cunctis maculis, quas aliquo illicito viſu

visu contraxi: Nec non abstinentiam manuum pedumq; tuorum, pro omnibus delictis, operum, gressuumque meorum. Postremò Majestati Ejus, Jesu amantissime, offer deificatum Cor tuum, pro universis delictis, quæ unquam cogitatione desiderio, sive voluntate commisi.

Cæteras Orationes pro peccatis multum Deo acceptas, pro temporis opportunitate, addere poteris ex die secunda pag: 78.

O Jesu pientissime, &c.

Ex Die sexta Quinque Orationes ad Christum Dominum passum pro peccatis cum oblatione breviori. pag:

Ante ipsam Confessionem.

ORATIO,

DVlcissime JESV, qui ex amore salutis humanæ Sacramentum Cõfessionis consolationem ad omnium peccatorum instituisti, ut ejus virtute, ab iniquitatibus nostris emundari, amissamq; gratiam tuám recuperare valeamus. Ecce ego miser peccator,

qui

qui denuo multipliciter deliqui, animamque meam omnibus ſordibus inquinavi revertor ad te, atque cum firmiſſima ſpe. & fiducia remiſſionis peccatorum meorum hoc tam nobile Sacramentum recipiam, nec non & de omnibus & ſingulis peccatis quantum quidem memoriæ meæ occurere poterunt, cum ſumma humilitate amaraq; contritione coram Sacerdote tuo vices tuas gerente me accuſabo: nec ullum peccatum mortale quantumcunq; fædum, & turpe, ſcienter reticebo. Illa verò quæ memoriam meam ſubterfugerunt, ſicut & omnia venialia peccata mea huic ſacræ Confeſſioni incluſa velim, eaq; tibi tanquam Pontifici omnium maximo confiteor: atq; coram tota cæleſti Curia me perfidum, & crimine læſæ Majeſtatis tuæ reum proclamo. Rogo ergo te, Pater clementiſſime, digneris eodem miſerationis oculo, quo Filium tuum in monte oliveti, in faciem ſu-

am prostratum, totoq; corde de omnibus hominum peccatis contritum respexisti, me miserum intueri, totoq; cordis affectu veniam petentem exaudire. In suppletionem contritionis meæ, quam ut par est non habeo, offero tibi vehementem illum dolorē, quem Vnigenitus tuus, toto tempore mortalitatis suæ super omnibus mundi peccatis in Corde suo dulcissimo semper præsentit, maxime cum in mōte Olivarum, præ ejusdem vehemētia Sanguinem sudaret: rogans ut in balneo ejusdem Sacratissimi cruóris animam meam ab omnibus iniquitatibus suis abluas atq; niveâ puritate tua condecores. Amen.

Ante Confessionem audiendam.

O JESV adsis, o Spes nostra miserere ô SS. Angeli! ò Sancti Patroni adjuvate me! En volo Domine potestate a te mihi, & ab Ecclesia collatâ absolvere pœnitentes meos quod fiat ad gloriam Divinæ Majestatis tuæ.

Spiritus

Spiritus S. gratia ita illuminet, accendat & conservet sensus meos, & cor meum, ut juxta tuum summum beneplacitum injunctum ministerium perficere, & ab omni tentationum incursu præmuniri, & præservari merear. In Nomine Patris & Filij &c.

ORATIO

Ante Pænitentiam dicenda.

ET quoniam, o mitissime DEVS multiplicibus peccatis, & negligentijs meis maximam tibi irrogavi injuriam, ideo etiam paratus sum divinæ justitiæ tuæ perfectam satisfactionem secundum quod vires meæ se extendunt, rependere, Igitur pœnitentiam illam à Confessario, Nomine tuo, mihi impositam, fideliter, summaque cum devotione, & amore eandem persolvere possem, ut majus tibi beneplācitum, & oblectationem causarem, quâm tibi per peccata mea injuriæ & contumeliæ irrogavi. Quod ut perficere valeam, ideò unio, & im-

mergo hanc meam pœnitentiam, in omnia opera satisfactoria, quæ dilectus Filius tuus 33. annis, jejunijs, vigilijs, & orationibus perfecit, & in unione omnium illorum offero tibi hanc Orationem, & pœnitentiam meam. Respice igitur amantissime Pater super me obligatissimum debitorem tuum sacris pedibus tuis, irrogatasq. tibi injurias reciproco amoris obsequio rependere satagantem: tantamq, mihi concede virtutem, & gratiam, ut juxta tuum beneplacitum, hanc orationem perficiam. Amen.

Hinc ora pœnitentiam tibi injunctam: eamq; sequenti Oratione conclude.

SAnctissime Pater, in unione omnium pœnitentiarum quæ unquam pro gloria Nominis Tui adimpletæ sunt, offero tibi hanc meam confessionem, & satisfactionem; rogans, ut eandem per merita Passionis dilecti Filij tui. perq; intercessionem B. V. Mariæ & omnium Sanctorum Apo-

postolorum, Martyrum, Confesso-
rum, atq; Virginum, ratam, mihi
salutarem habere, & efficere digne-
ris. Et quidquid mihi defuit de sin-
cera præparatione, perfecta contriti-
one, fideli, & dilucida Confessione
id omne commendo dulcissimo Cor-
di Unigeniti tui, tanquam bonorum
omnium gazophylacio, ex cujus abū-
dantia omne debitum tibi plene sup-
pletur: ut per ipsum omnes defectus
& negligentiæ meæ, in susceptione
hujus Sacramenti commissæ plene, &
perfectè ad æternam laudem tuam.
Suppleantur: meq; tam efficaciter ab-
solvere velis in cœlis, sicut minister
tuus tua authoritate me absolvit in
terris, P. D. N.

*Ad S: Synaxim utere illis Orationibus in-
cipiendo ab illa quæ est ad Christum* pag:
70. *quia tam pro celebrante, quam com-
muni cante sunt applicabiles.*

ACTUS ALII.
Ante Sacram Communionem.

ITa ne ab æterno cogitasti de me; & singulis &-jam num momentis, cogitas de me, & in æternum cogitabis, ô amabilissima bonitas Deus meus? Et ego tam diu fui oblitus tui, etiam modo vix memor tui, & in posterum tui potero oblivisci o amabilissima bonitas.

Quàm tædet, quàm pudet me mei! ô magnum prodigium. quod ab æterno amaveris me, o nimia Charitas quid faciam tibi? Et quid obsecro unquam oculis Maiestatis tuæ placuit in me? quid boni ego feci? quid merui? elegisti me ante mundi constitutionem, ut sim sanctus, & immaculatus in conspectu tuo, & cum in peccatis jacerem, vocasti me è sæculo nequam in admirabile lumen tuum, dissimulans peccata mea propter pœnitentiam.

Quid in me dulcissime JESU invenisti obsequij quia liberasti corpus meum à perditione, liberasti me secundum

cundum multitudinem misericordiæ Nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam.

Toties ob scelera mea tradendus eram inferno cum alijs, quos in ipso fervore peccatorum oppressit mors qui nunc in flammis infernalibus cruciantur, & tamen mihi, cur autem mihi! misericordissimè pepercisti.

Sis millies mi Domine benedictus, qui me ex innumeris mundi periculis liberasti, & ad sanctam Religionem mirabiliter invocasti. Benedicta sit illa hora, quâ me eduxisti de tabernaculis peccatorum. Benedicta sit hora, quâ me in filium tuum adoptasti. vere locus iste sanctus est, vere DEUS in loco isto, ubi Panis Angelorum factus cibus viatorum, reple me etiam hodie suavitate tua, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ succensus, ad te solum æstuantissimis anhelem desiderijs. Veni ô amator ardentis-

sime ad pauperculam animam meam, hic habites quoniam elegisti eam. Ne pertranseas servum tuum ô dilecte votorum meorum! ô dulcedo cordis mei, ô requies spiritûs mei. o vita animæ meæ DEUS meus, & omnia.

Iam accessurus dic: Ecce Dñe. p. 35.

POST S. COMMUNIONEM.

Similiter ora ut post Missam *supra.*

Deprecatio pro felici successu Sacræ Religionis.

NE despicias Domine Partem tuam, & hæreditatem tuam, quã tuo Sanguine acquisivisti. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti, & funiculo tuo. Intende oculos pietatis in omnes Religiosos nostros Præsules, & Pastores, & fac eos super commissum sibi gregem fideliter excubare. Converte oculos tuos misericordes, in omnes Religiosos servos tuos, & fratres nostros, quos de hoc sæculo nequam eripuisti, ad te benigne traxisti, ut hæreditatem

capiant

capiant salutis. Da illis in virtute, & vocatione profectum. & in cunctis fervorem accende. Da ut viventes per totum mundum laudemus Nomen tuum Domine, & nunquam claudas ora te canentium Domine Deus noster.

Clamo ad Te potentissime Protector salutis meæ Sanctissime Pater, & Dux noster BENEDICTE, tu de tua sálute jam securus es, de me obsecro sis sollicitus, & quem in vita Patronum elegi, in morte patrocinantem experiar, victurus deinceps tecum beatè, patrocinij tui memor in æternum. Subveni mihi misero peccatori, sedenti in tenebris & umbra mortis, & solve vincula captivitatis meæ. Eleva me ab hac sordida terra ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mũdo.

HORA SPECIALIS.

Pro lucrandis Indulgentijs.

Intentio ad lucrandas Indulgentias.

SAnctissima Trinitas. Pater, Filij, &

& Spiritus Sancte unus DEUS toto corde offero me tibi totum, ex amore tui, super omnia cum omnibus actionibus, & passionibus meis, ad majorem tuam gloriam, Matris Filij Dei, Sanctorum Angelorum, & omnium Sanctorum, præcipue S. P. Benedicti & Patronorum meorum, in Gratiarum Actionem pro omnibus beneficijs toti mundo collatis, in satisfactionem pro peccatis meis, & omnium; ad impetrationem omnium gratiarum, & assecutionem omnium Indulgentiarum, quas ego pro me, quatenus indigeo, & pro defunctis indigentissimis offero tibi qualicunq titulo, per confraternitates, Metalla, Cruces, Imagines, grana, orationes, & alia Privilegia mihi debentur. Orando te enixissime pro exaltatione S. Romanæ Ecclesiæ, pro extirpatione Hæresum, pro concordia Christianorum Principum, pro pace & salute summi Pontificis. Quod

totum

totum offero tibi in unione meritorũ Christi Passionis & acerbissimæ mortis Matris ejus Sanctissimæ & omnium Sanctorum. Amen.

Oratio Prima pro Ecclesia.

BEnignissime Domine JESU Christe. qui S, Ecclesiam tuam in spõsam elegisti, eamq; tanto dilexisti amore, quod vitam, & Sanguinem tuum pro ea persuderis: rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum. Aspice Jesu clementissime, quam pertinaciter ab hostibus oppugnetur. Aspice quam violenta rabie portæ inferi adversus eam consurgant, Ne quæso permittas ut adversus eam prævaleant: sed defende & conserva eam in magnitudine brachij tui. Intuere etiam Jesu pijssime, quanta negligentia, & in decore divina tua officia peragantur, quam sacer cultus tuus jaceat, quam exigua scientia Dei sit in terra. Mit-

te igitur ferventes, & indefessos operarios in messem tuam; qui eam excolant, promoveant, & in horrea tua congregent. Concede etiam universis fidelibus tuis, ut Ecclesiæ tuæ Sanctæ obediant, eiusq; præcepta servent & in omni bono de die in diem ad majorem tui Nominis gloriam proficiãt.

Pater noster. Ave Maria.

Oratio 2da. pro extirpatiane Hæresum.

PIentissime Domine JESV Christe, verum lumen, ad illuminationem gentium, obsecramus clementiam tuam, ut respicias super interitu tot animarum quæ fraude serpentis antiqui, & deceptione Hæreticorum, in profundas errorum tenebras inciderunt: O misericordissime Jesu, est nè possibile, quòd miseras illas animas, pretiosissimo Sanguine tuo redemptas, â satana decipi, ejusq; potestati subdi patiàris! Est nè possibile, quod in dies tot miserandas animas defectu veræ fidei

ræ fidei in abyssum inferni detrudi permittas! Recordare o Christe Jesu, quot laboriosa itinera pro salute earum susceperis, quotq; vulnera, & plagas in redemptione eorum acceperis. Rogamus igitur per virtutem amarissimæ passionis, & mortis tuæ: ut execrandas illas hæreses funditus extinguere, atque indurata Hæreticorum corda, ad veram fidem convertere digneris, *Pater noster. Ave Maria.*

Oratio 3tia. pro Concordia Principum.

DVlcissime JESV, Author & amator unitatis & pacis, rogamus Clementiam tuam, ut omnibus Principibus Christianis, pacem & veram concordiam donare digneris, ut Ecclesia tua tranquillâ semper devotione lætetur. Recordare Jesu pie, quã multus innoxius sanguis, per continuam bellorum tempestatem effundatur. Aspice quàm multi in extremas corporis, & animi angustias deijciantur.

tur. Ah, Jesu amantissime qui pacem semper summè amâsti, eamque Discipulis tuis, toties apprecatus es: rogamus te per ineffabilem Cordis tui amorem, ut Reges, & Principes Christianos pacificare, & arctissimo concordiæ vinculo, colligare digneris: ut plebs tua in quiete, & pace gubernari, in què tuo sancto servitio confortari, & conservari mereatur. Quod nobis præstare digneris per infinitam misericordiam, & bonitatem tuam. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

Preces pro Ecclesia recitare poteris quæ sunt pro hora in Die primo positæ. pag: 64,

DIES IV.
S. MATRI VIRGINI SCHOLASTICÆ SS. GERTRUDI MECHTILDI

S. Mater Scholastica Specialis patrona in siccitate terræ, & spiritus ariditate, & contra dolores dentium: Sic igitur Honori illius.

OFFI-

OFFICIUM BREVE
De S. Matre
SCHOLASTICA.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudẽ tuã
℣. Deus in adjutorium meũ intende,
℟. Domine ad adjuvandum, &c.

HYMNUS.

EJa Sacratæ Virginis
Summo decore natæ,
Sponſæ Supremi Numinis
Præconium ſonate:
Qui Regulæ Monaſticæ
Chriſti ſequendo rete;
Hæretis ad Scholaſticæ
Tantum jubar ſtupete.
Quæ charitatis caſſibus
Ardetis alligatæ
Cum Matre magnis paſſibus
Ad Nuptias volate.

Antiphona. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immor-

talis est enim memoria Illius quoniam apud Deum nota est & apud homines.

℣. Omnis ponderatio.

℟. Non est digna cõtinentis animæ

Oratio.

DEus qui Beatæ Virginis tuæ Scholasticæ animam ad ostendendam Innocentiæ suæ viam in columbæ specie Cælos penetrare fecisti, da nobis quæsumus Ejus meritis & precibus ita innocenter vivere, ut ad eadem mereamur gaudia pervenire Per Dñũ &c.

AD PRIMAM.

Hymnus.

CVm Fratre psallens agnita
Matris jacens cubili
Fratriq; suppar cælica
Passu petis virili,
Jam lucet ex infantia
Armata Virgo zelo
Mentis micat præstantia
Ipsi probata Cœlo.
Quam Te vocem Scholastica
Infans quidem putaris

Sed jam volas ad ardua
Quam digna Fratris aris.

Antiphona. Dominus ab utero vocavit me, de ventre Matris meæ recordatus est nominis mei.

℣. Ex ore infantium & lactentiũ perfecisti Laudem.

Propter inimicos tuos. *Oratio ut supra.*

AD TERTIAM.

Hymnus.

SVæ tenens exordia
Vitæ, Soror Beata
Sanctè dicat primordia
Proposito Sacrata,
Jam sentit acras flammulas
Christi vibrare telum
Castas anhelat Nuptias
Et Virginale velum
Sic corde tacta primitus
Se Numini dicavit.
Raptam sibi dum spiritus
A carne separavit.

Antiphona. Audi Filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere popu-

populum tuum & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.

℣. Adducentur Regi Virgines poſt eam,

℟. Proximæ Ejus afferentur Tibi.

AD SEXTAM.

Hymnus.

QUas innocenti Corpore
 Excepit ipſa pœnas.
Famem ſitim cum verbere
 Spinaſq; Fratre plenas.
Clauſtri penes ſilentia
 Velut recluſa tumba
Ardet precum frequentia
 Sponſum gemens columba.
Sed plus amorum fæderi
 Innixa colliqueſcit.
Affixa JESU pectori
 Quam dulciter quieſcit.

Antiph: Manus meæ diſtillaverunt myrrham: & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.

℣. Mihi mundus Crucifixus eſt.

℟. Et Ego mundo, *Oratio ut ſupra.*

AD

AD NONAM

Hymnus.

A Fratre Cæli Patriam
Dum flagrat explicari
Die cadente in vesperam
Fugam videt parari
At illa ne me desere
Sint verba fax amorum
Opus cæptum perfice
Narrans statum Polorum
Hinc increpat sed fulgura
Hæc impetrat vibrari
Imber ruens & flumina
Fratrem jubent morari.

Antiph: Mittes fulmina & ibunt & revertentia dicent Tibi adsumus.

℣. Anima mea liquefacta est.

℟. Ut dilectus locutus est.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

Hymnus.

AT nox sub his incendijs
Tristem parat recessum
Frater fugit mox funeris
Canit Beata Jessum

Amor veni: per viſcera
Lethale mitte telum
Confige JESU brachia
Subibo dulce Cælum
Fulcite me, ſtipate me
Odoribus liquore
Huc mala, flores fundite
Reſolvor ex amore.

Antiph. Còarctor ex duobus deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cũ Chriſto

Oratio ut ſupra.

AD COMPLETORIUM,

Converte nos DEUS ſalutaris noſter.
Et averte iram tuam à nobis.
DEUS in adjutorium, &c.

Hymnus.

SIc tacta Virgo ſpiculis
Ad Nuptias parata
Vitæ procul periculis
Sponſum petit Beata.
Dum Virginalis ſpiritus
Ad Aſtra ſe levavit.
Pennis columbæ candidus
Ad Cælites volavit,

Frater

Frater Sacrum depositum
 Vrna sua decorat
Jllo sepulchro conditum
 Cultor frequens honorat.

Antiph: Surge propera Amica mea, Columba mea & veni, jam enim hyēs transijt, imber abijt & recessit,

℣. Veni de Libano,

℟. Veni coronaberis. *Oratio ut supra.*

COMMENDATIO.

EJa Columba Cælitum,
 Agni Comes choreis,
Conjuncta Sponso Virginum
 In syderum trophæis,
Nostri memor Suffragia
 Pro Fratribus repone,
Nobis ut hæc post tempora
 Sit pars tuæ coronæ.
Tecum DEO cantabimus
 Præconium solenne,
Alis tuis volabimus
 Ad præmium perenne. Amen.

LITA-

LITANIÆ
De S. M. SCHOLASTICA.

KYrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos,
Pater de cælis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miser:.
Spiritus Sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere.
Sancta MARIA. Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix.
Sancta Virgo Virginum.
Sancta Maria speculum Virgineæ castitatis,
S. Mater Scholastica
S. Scholastica Virgo magnæ castitat:
S, S. Lampas amoris Divini.
S. S. Fons bonitatis.
S. S. Mare clementiæ.
S. S. Angele Vita & moribus.
S. S. Lilium castitatis.
S. S. Domus Pudititiæ.
S. S. Magistra obedientiæ.
S. S. Tabernaculum virtutũ omniũ.

Ora pro nobis.

S. S. The-

S. S. Thesaurus Cælestium Charismatum. Ora pro nobis.
S. S. Templum S. Spiritus.
S. S. Columba ramũ olivæ portás.
S. S. Columba mũndissima in holocaustum Dei,
S. S. Colũba thesaurus humilitatis.
S. S. Colũba ad Thronũ Dei volãs.
S. S. Columba amatrix Christi.
S. S. Columba in cavernis Christi nidificans:
S. S. Super flumina aquæ vivæ morans.
S. S. Columba sine felle.
S. S. Columba pro peccatis hominum gemens.
S. S. Columba ab insidijs inimicorum libera.
S. S. Columba Sanguine Christi lota:
S. S. Columba Vas Spiritus Sancti:
S. S. In utero Matris psallens.
S. S. Mundum in flore despiciens.
S. S. Dux & Fundatrix Religiosarũ Virginum, Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

S.

S. S. Speculum perfectionis.
S. S. Quæ S. P. Benedictum ſemel in anno viſitaſti.
S. S. Quæ ingruentem pluviam tuis precibus impetraſti.
S. S. Præſcia mortis.
S. S. Quæ Agnum ſequeris.
S. S. Quam Deus gloria, & honore coronavit in Cælis.
S. S. In vita & poſt mortẽ clara.

Ora pro nobis.

Propitius eſto. Parce nobis Dñe.
Propitius eſto. Exaudi nos Dñe.

Ab ira tua.
Ab omni malo.
A ſpiritu fornicationis.
A tranſgreſſione votorum noſtrorũ.
Per immaculatam vitam ejus.
Per ardentiſſimum amorem ejus.
Per merita, & interceſſiones ejus.

Libera nos Dñe.

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas.
Vt nobis Caſtitatẽ donare digneris.
Vt nobis veram converſionem ſecundum Regulam S. P. Benedicti largiri digneris.

Te rogamus

Vt Ordinem nostrum ampliare & tueri digneris. Te rogamus audi nos.

Vt perseverantiam in tuo Sancto servitio nobis donare digneris. Te rog.

Vt à dolore dentium nos conservare digneris, Te rogamus.

Vt in hora mortis ab insidijs nos protegere digneris. Te rogamus.

Agnus Dei, &c. Parce nobis. &c.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. *Oratio ut supra.*

Ad quamcumq; Virginem O. N.

AVe Virgo gratiosa, Immaculata JESV Sponsa S. N. Recordare inestabilis gratiæ quam Christus tibi præstitit, dum Te in numero Sponsarum suarum coaptavit. Benedicta sit niveæ puritatis tuæ integritas, castissimiq; amoris suavitas. Tu candens lilium Virginitatis, quæ omnes Sanctos in odorem trahis Tu Agnus sine macula induta velum niveum Castitatis sequeris Agnum quocunq; ierit. Rogo Te B. N. per Cor JESV &

Matris

Matris ejus quod tibi offero, dele maculas nimis multarum corruptionũ mearum, tuaq; integerrima Virginitate operi sordes spurcitiarum mearũ, & per gratiam, quam apud Deum invenisti, fac ut deinceps nunquam contra castimoniæ puritatem cogitatione verbo & opere delinquam. Am.

Adde tria: Laudate Dominum omnes Gẽtes, laudate eum populi. Quoniam &c.

Ad S. GERTRUDEM. M. Abbatissam.

B. Gertrudi promisit Christus, quod quicunq; eam coleret, non morietur, antequam tali gratia donetur, quod conversatio ipsius, in tantum complacebit Christo, quod delectationem in anima ejus possit habere. l. 41. c. 20. & 23.

AVe B. Gertrudis per dulcissimum Cor JESV Christi plena gratia, & charitate, benedicta tu inter Virgines, & benedictus sit dulcissimus Sponsus

Sponſus tuus JESVS Chriſtus, qui te tam ardenter amavit, tamq; innumeris gratiarum donis exornavit. Beatiſſima Gertrudis vernans Roſa paradiſi, per amorem, quo Chriſtus tam dulciter in corde tuo requievit, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ Amen.

GRATIARUM ACTIO.

B. Gertrudis certificata fuit à Chriſto quod ſi quis gratias ageret pro beneficijs ipſi collatis, tot virtutibus ipſum laudãtem Dominus vellet ditare, ſi non in inſtanti, certè tamen tempore congruenti. l. 5. c. 31.

LAudo & benedico, & adoro te: benigniſſime Domine Jeſu Chriſte, Fons, & Lumen ſempiternorum luminum, gratias tibi ago per mutuam gratitudinem, colendæ ſemper & adorandæ Trinitatis, pro exuberantiſſima divinæ pietatis tuæ ſupereffluentia, quâ irrigaſti, fæcundaſti, tibiq; indiſſolubiliter conglutinaſti Cor

dulcissimæ Sponsæ tuæ B. Gertrudis. Benedicta sit superdignissima divinæ pietatis tuæ dignatio, quæ te adeò gratia, ac favore ad fidelissimæ dilectricis tuæ animam inclinavit, quod te totâ affectione inter ejus amplexus tanquam captivum tradideris. Rogo te cum desiderio, & affectu omnium creaturarum, per mutuum divini Cordis, ac prædulcissimæ Sponsæ tuæ amorem, ut animam meam vitiorum sordibus expugnare, verisque virtutibus, ac spiritualibus gratijs ditare velis. Amen.

Precatio ad CHRISTUM.

B. Eidem Christus promisit, quod Clientum ejus preces indubitanter vellet adimplere, si salubria essent quæ peterent l. 5. c. 32.

GRatias tibi referat, pijssime Jesu, omnium bonorum gratiarumq; Largitor, quidquid cæli ambitus, terræq; circuitus, & maris complectitur abyssus, tibique laudem illam tribuat immen-

immenſam, æternam & incommutabilem, quæ à te procedens refluit in te ipſum, pro exuberante illa pietate, miſerationum gratiarumq; tuarum torrentem in cor & animam, dilectiſſimæ Sponſæ tuæ Gertrudis, tam exuberanter direxiſti, in qua in organo inſtrumentoq; tuo peculiari, tuæ pietatis arcana mundo manifeſtaſti. Gratias igitur tibi ago qualeſcunque poſſum ex intimis medullis mentis meæ tibique ex parte omnium cæleſtium, terreſtrium, & infernorum ſupplico, per ineffabilem illum tuæ Divinitatis amorem, quo fideliſſimam dilectricem tuam, ab æterno ad tuam ſpecialem gratiam elegiſti, temporeque placito tam ſuaviter attraxiſti, & familiariter tibi univiſti, tamque jucundè in anima ejus habitaſti, & tandem curſum vitæ ejus tam beato fine conſumaſti, ut petitionem meam benignus audire, & clementer exaudire digneris, Recordare pijſſime Jeſu,

illius divinæ veritatis tuæ promissi, quod dilecta tua á ferventissimæ pietatis tuæ supereffluentia accepit, quod scilicet illius preces, qui per merita Ipsius te rogaverit, indubitanter velles adimplere, si salubria essent quæ peteret. Insuper obligans te, quod si ad tempus dispensativè petitionis effectum subtraxeris, postmodum triplici lucro, id persoluturum, ex parte Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Benignitatis, virtuosæ Trinitatis, Hujus ergo fidelissimi pacti tui devotè te admonens rogo, ne me desolatum dimittas, sed petitionis meæ salutarem tribuas effectum. Amen.

Ad S. GERTRUDEM

In tentatione. l. 1. c. 3.

DOmine JESU, per illum amorem quo Cor Electæ tuæ, ab omni affectione mundana purum tibi uni ad inhabitandum, atque spiritualibus donis implendum elegisti; perque ejusdem merita, & intercessionem, rogo

rogo digneris me ab hac tentatione liberare.

LITANIÆ.

De S. GERTRUDE.

Ex ijs Encomijs quas Christus eidem dedit secure credas. quod per eas multum impetrare poteris, quia Eidem juravit Dominus sub sigillo mortis suæ, quod si quis aliquid pij operis in honorem faceret, ille in morte sua propria inveniret omne, id, quod aliquis in mundo, in honorem ejus fecisset. l. 5. c. 31.

OBLATIO LITANIARUM.

DOmine JESV,, in unione amoris illius, quod de cælo ad terras descendisti, & omne opus humanæ redemptionis perfecisti, offero tibi hanc orationem meam.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater de Cælis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus.
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus.
Miserere nobis.

Sancta MARIA. Ora pro nobis.
Omnes Sancti Bearorum Spirituum Ordines. Orate pro nobis.
Omnes Sanctæ & Sancti Dei, Intercedite pro nobis.
S. GERTRUDIS.
Pulchra & amæna.
Filia Luminis sempiterni.
Sponsa Christi, è millibus electa.
Gloriosa Arca Testamenti.
Triclinium Thesaurorum Dei.
Fortissima Zelatrix justitiæ.
Vulnerũ Christi emplastrũ lenissimũ
Dolorũ Christi revelamẽ suavissimũ
Monile Christi præfulgidum.
Columba Christi absq; felle.
Rosa Christi suaveolens.
Dulcis harmonia omnium cælitum.
Electum Christi lilium, quod manibus suis portare affectat.
Flos Christi vernans, quem respiciendo jucundam haurit amænitatẽ.
Imperatrix à Christo Imperatore affecta.

Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Regina

Regina à Chriſto Rege coronata, Ora pro nobis.

Organum Chriſti peculiare, quo pietatis ſuæ arcana mũdo manifeſtavit. O.

Jeſu Chriſte B. Gertrudis Sponſæ dulciſſime. Miſerere nobis.

Per mundiſſimam ejus puritatem.

Per profundam ejus humilitatem.

Per manſuetiſſimã ejus benignitatẽ.

Per ſinceram ejus fidelitatem.

Per ardentiſſimam ejus charitatem.

Per immaculatam ejus caſtitatem.

Per invictiſſimã ejus conſtantiam.

Per cordialiſſimam ejus cõpaſſionẽ.

Per firmiſſimam ejus confidentiam.

Per ſummam virtutum omnium perfectionem.

Miſerere nobis.

Per pulchritudinem interni decoris quo tibi complacuit.

Per amorem quo eam ab infantia portaſti, & inter amplexus tuos foviſti.

Per amorem quo eam tibi proximã feciſti.

Miſerere nobis.

Per amorem quo eam tempore placito tam ſuaviter tibi attraxiſti.

Per amorem quo eam tam familiariter tibi univiſti.

Per amorem, quo tam dulciter in corde ejus habitâſti.

Per amorem quo ad eam præ omnibus gratiâ, & favore inclinatus fuiſti.

Per amorem, quo ab aliјs offenſus, te ipſum in ea quietatũ inſinuaſti.

Per amorem, quo propter eã innumeris ſæpè hominibꝰ peperciſti.

Per amorem quo de vulnere lateris tui vulnus Cordi ejus infixiſti.

Per amorem, quo Cor tuum ſæpius cum corde ejus commutaſti.

Per amorem, quo ad eam admirabili modo omnem cordis tui divini delectationem convertiſti.

Per amorem, quo te totà affectione inter Ejus amplexus tanquam captivum tradidiſti.

Per amorem, qui curſum vitæ Ejus beato fine conſumaſti.

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

Per

Per amorem illum, ardentissimum, qui omnes ejus vires consumpsit. Mis:

Per amorem illum, nobilissimum, qui pretiosam ipsius animam à delicato ejus corpore separavit. Miserere.

Per amorem illum, dulcissimum, quo eam in corde tuo in cælum deportâsti, Patrique tuo præsentâsti. Mis:

Per amorem illum, quo ei cælestes delicias in cælis administras, JESU Christe miserere nobis.

Agnus Dei, &c.

COMMENDATIO.

IN Tuam Sacratissimam intercessionem gloriosaq; merita commendo me, ò prædignissima Sponsa Christi, B. Gertrudis, devotè deprecans, digneris sincerum meum in te amorem, firmissimamq; cordis mei in tuo patrocinio confidentiam respicere, nomenq; meum Sacratissimo Cordi tuo inscriptum, in numerum eorum, quos singulariter amas, atque tueris, collo-

care; ut tua interventione ab amore Christi nunquam valeam separari.

℣. Ora pro nobis B. Gertrudis.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus quas Christus tibi repromisit.

Oremus.

DOmine JESV Christe, Sponse castorum mentium, offero tibi hanc Orationem meam in unione amoris illius, quo mortem pertulisti, eamque cum omni fructu Sanctissimæ humanitatis, in die Ascensionis tuæ Deo Patri præsentasti: rogans per amorem illum quo Sponsæ tuæ tam dulciter acclinasti, ut ejus meritis, & precibus me tibi placentem reddas; & ad vitam perducas æternam. Qui vivis & regnas, &c.

CONGRATULATIO
Ad B. MECHTILDEM

Christus ajebat ad B. Gerdrudem. Qui devoto corde congaudet electæ meæ Mechtildi

illius

illius anima in cœlis recipiet resplendorem claritatis meæ. l. 3. c. 76.

COngratulor, & congaudeo tibi, ô immaculata Sponsa Dei B. Mechtildis, gratiasque ago dulcissimo Sponso tuo Jesu Christo, pro immensis gratiarum thesauris, qui ex ipsius supereffluentia abyssali unquam in salutem tuam defluxerunt: devotissime rogans, ut ex fervore divinæ charitatis tepido cordi meo calorem fervidum ministrare, in unione Passionis ac mortis Christi mihi in peccatis languido medelam conferre, atque securitatis tutelam præstare digneris *S. Gertrud: l. 5, c. 7.*

GRATIARVM ACTIO.

Pro Gratijs B. Mechtildi collatis.

Pro hac Gratiarum actione Christus Dominus promisit in hora mortis dare eis consolationem divinã: Rev: S. Mech: l. 3. cap: 29.

GRatias ago bonitati tuæ DEVS, gratias dignationi tuæ, pro eo,

quòd dilectam tuam B. Mechtildem ad tantam gratiam elegeris, tamque immensis virtutum donis ornaveris? Congaudeo tibi, gratiasque ago; pijssime Jesu pro omni bono, quod in ea operatus es æternumque operaberis, Gratias tibi ago pro superefluenti gaudio, suavissimaque tranquillitate, quam in ea habuisti. Gratias tibi ago pro amænissimo influxu, quo te ei acclinasti. Gratias tibi ago pro Sacra Spiritûs tui operatione, quam in ea perfecisti. Et demum gratias ago pro perfectissima fruitione, quâ in ea deliciatus es: devote rogans, ut me meritorum ejus participem reddere, virtutumque ejus fulgoribus exornare velis.

A
M E
N.

DIES V.

Primis Specialibusq; Ordinis Nostri Sanctis & Patronis

SACRA.

OFFICIUM BREVE

De S. MAURO ABBATE, Discipulo SS. P. Benedicti.

Christo in Tribunali sedente cum B. V. Maria, adstare SS. P. Benedictus, & à dextris Maurus: & à sinistris Placidus visus est. Ex Chro: Cassin: & alijs. Quos ut in judicio extremo Protectores habeas, ne pigeat te debito cultu venerari.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea, &c. Deus in &c. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

TE Maure magno sanguine
Claroq; fonte natum
Patritioq; stemmate
Eutychij creatum.
Linguæ loquuntur supplices
Tuos canunt amores,

Et charitate duplices
    Tibi dicant honores;
Devota cerne pectora
    Audi tuos clientes,
Ex se reos sed in Tua
    Virtute spem tenentes.

Antiph. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Can:* 6.
℣. Ora pro nobis B. Confessor Maure.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Maurum ad imitandum obedientiæ Exemplum sicco pede super aquas ambulare fecisti: Concede, ut virtutum ipsius implere documenta, & præmiorum obtinere consortia mereamur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjiutorium meum, &c,
℟. Domine ad adjuvandum, &c,
Glor. Patri & Filio &c.

HYMNVS.

IN ſæculum vix editus
Mox illud abdicaſti,
Pennis columbæ præditus
Sublimiùs volâſti.
Petis Caſini Regulam,
Monaſticamq; vitam,
In Sanctitatis orbitam
Longo labore tritam.
Spreviſſe mundi gloriam,
Trophæa, jura, caſtra,
Per nobilem victoriam
Te fixit inter aſtra.

Antiph: Bonum eſt Viro, cûm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua! Sedebit ſolitarius. & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe. *Thren*: 3.

℣. Ora pro nobis, &c. Oratio *ut ſupra*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adiut: &c. Glor: Patri, &c

HYM-

HYMNVS.

QVæ Patriarchæ videras
Inesse signa morum,
Hæc fervidè consideras,
Vt æmulator horum;
Orando pernox perdius,
Preces gemendo fundis,
Crucis dolore saucius,
Cædendo membra tundis.
Corpus diu præmortuum
Affligis absq; fine,
Sic te solebant æmulum
Patris monere spinæ.

Antiph: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar. *1. Cor: 9.*

℣. Ora pro nobis &c. Oratio *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjut: ℟. Gloria Patri &c,

HYMNVS,

PErfectio miraculis
Tandem fuit probata,
Cœlestibus signaculis,
Jussu Dei notata,

Testes âquarum vertices,
Quos siccus ambulasti
Tanquam virentes cespites,
Petrúmq; replicasti.
Vix (curre Maure) verbulum
Festinus audiebas,
Mox pœne mersum parvulum
De fluctibus trahebas.

Antiph: In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. *Psal.* 76.

℣. Ora pro nobis, &c. Orat: *ut supra.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor: ℟. Glor: Patri, &c

HYMNUS.

VT Gallias incenderes
Ab igne charitatis,
Et Regulam protenderes,
Regúmq; sanctitatis.
Spectata virtus profuit,
Et asseclas vocavit,
Quos disciplinis imbuit,
Claustrísq; destinavit.
Ipsi beatos dediti
Se credidêre Reges,

Si discerent Mauri sui
Sanctas ab ore leges.
Antiph: Venite Filij audite me, timorem Domini docebo vos. *Psal: 33.*
℣. Ora pro nobis, &c. Oratio *ut supra.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjut: ℟ Gloria Patri &c

HYMNUS.

QVæ lingua posset stringere
Tot facta, quæ patrâsti,
Tuâmque vitam pingere,
Quâ Gallias beasti?
Æterna Quadragesima,
Nullus soporis usus,
Calx: lora, funes, cingula;
Tuus fuêre lusus:
Eras in astris sedulò
Hâc Doctor in sophia;
Immersus in JESV tuo,
Absorptus in MARIA.

Antiph. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Cant: 2.*

℣. Ora

℣. Ora pro nobis, &c. Oratio *ut supra.*

AD COMPLETORIVM.

℣. Converte nos Deus salutaris noster
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℟. Gloria Patri, &c.

HYMNVS.

ÆTatis aucto pondere *Obijt se-*
Completus in labore, *ptugenario*
Corpus paras recondere *major.*
Contritus in dolore.
Post octo lustra conditi *40. annis*
Gestiq; præsulatûs *Abbas Glano-*
Verbis citantis Angeli *foliensis.*
Ad Numen es vocatus,
Beata mens, quod voverat,
Finem tenendo lætum:
Perennis hospes incolit
Cœleste lilietum.

Antiph: Moriatur anima mea morte justorum, & novissima mea fiant horum similia. *Num:* 23.
℣. Ora pro nobis, &c. Oratio *ut supra.*

COM-

COMMENDATIO

HÆc vota Maure suscipe
Vt filialeque sertum,
Et cor Parentis exhibe
Pro Filijs apertum.
Vt annuente numine,
Quod unicè precamur,
Æternitatis lumine
Migrando vestiamur. Amen.

OFFI-

OFFICIUM DE S. PLACIDO.

Martyre & Socijs MM.

AD MATVTINVM.

℣. Domine labia mea aperies
℟. Et os meum annuntiabit laudẽ tuã.
℣. Deus in adjutoriũ meũ intẽde. &c.
Gloria Patri, & Filio; &c.

HYMNVS.

IN purpuræ decore
Te Proto-Martyr Ordinis;
Athleta primi nominis
Canemus ex amore.
O qui trophæa Martyrum
Et laureas tulisti,
Fratrumq; turba cœlitum
Adauctus appulisti;
Tuos Clientes respice
Culpæ suæ notatos,
Tuòq: Martyr sanguine
Nos redde candidatos.

Antiph: Laudemus Viros gloriosos &

Paren-

Parentes nostros in generatione sua.
Eccl: 44.
℣. Consummatus in brevi explevit tempora multa,
℟. Placita enim erat Deo anima illius. *Sap:* 4,

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hodiernà die Beatissimum Placidum cum Socijs, per Martyrij palmam ad regna siderea sublevâsti. Concede propitius: ut quod eorum amore deposcimus, illorum intercessione consequi mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjut: &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

ANiciano stemmate
Licet potens nitcres;
Fulgens honorum lemmate
Terræ dicatus hæres;

Sed

Sed nil morantur terrea
Ad aſtra tranſiturum,
Spernis velut ſint ludicra,
Et mox nihil futurum.
Puer venis, ſed vineæ
Cœleſtis in ducatum,
Gaudens paternæ lineæ
Calcare principatum.

Antiph: Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim Regnum cœlorum, *Matth:* 19.

℣. Niſi efficiamini ſicut parvuli,

℞. Non intrabitis in Regnum cælorum. Oratio *ùt ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjut: &c. Glor: Patri &c.

HYMNUS.

ANnos ſuper vir maximus
Virtutis in palæſtra,
Vitâ jaces abſconditus
Carnis luti ſequeſtrâ.
Mentem trahens Oratio
Te copulat tonanti,

Beata

Beata contemplatio
Alas parat volanti.
Fames, ſitis, jejunia,
Funes, vepres, catenæ;
Mentis tuæ ſolatia
Fiunt amore plenæ.
Antiph: Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. *Pſal:* 54. ℣. 8.
℣. Ducam eam in ſolitudinem.
℟. Et loquar ad cor ejus. *Oſea* 2. ℣ 14.
Oratio *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjut: &c. Glor: Patri &c.

HYMNUS.

DIſcretionis Regula
Te ſolidum probavit,
Et quod ſtupeſcant ſæcula
Ad tanta deſtinavit.
Ut norma ſacri fœderis
Inter Deum venires,
Ut vir, puerq; cæteris
Ad lauream præires.
Quid Patriarcha ſenſerit
De te, ſatis notavit,

Solum ferè quòd junxerit,
Cùm mira perpetravit.

Antiph: Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo. *Luc:* 2. ℣. 40.

℣. Quis putas Puer iste erit?

℞. Erit enim magnus coram Domino, *Luc:* 1.

Oratio. *ut supra.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.

℞. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

DUm major annis Ordinis
Excrescis ad labores
Jam dextrâ donat Numinis
Monasticos honores;
A Patre missus Siculis
Abbatis in tiaram,
Terræ, & maris periculis
Emis cruoris aram;
Transis vias, sed utilis
Ad publicam salutem;

Et mille morbos expedis;
Stygisq; servitutem.
Oratio *ùt supra.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℟. Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

HOspes struis dum providus
Et Architectus ædes,
Adest Soror cum Fratribus
Novas videre sedes.
Cordis sui solatia
Tuo trahunt ab ore,
Amoris inter basia,
Breves videntur horæ.
Sed nox sequens ah! hospites
Quàm dispares paravit,
Manucha dum satellites
Ad insulam citavit.

Antiph: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. *Psal*: 132. ℣. 1.

℣. Fidelis Deus per quem vocati estis
℟. In societatem Filij ejus. 1. *Cor*: 1. 9

Oratio *ùt supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEUS ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEUS in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

CHriſtum fatentes propalam
Condemnat ad dolorem,
Caſtam Sororem Flaviam
Denudat ad pudorem;
Donatus ictu concidit:
Vos fuſtibus notati
Furca (latro ſic præcipit)
Ponderis elevati,
Os dulce ſaxis tunditur.
Sunt membra fune tecta.
Cruor per enſem funditur,
Linguâ priùs reſectâ.

Antiph: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium, *Pſal: 65.* ℣. 12.
℣. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.

℟: Insuper & caro mea requiescet in spe. *Psalm: 21. ℣. 9.*

Oratio *ut supra.*

COMENDATIO.

HÆc metra Martyr promimus
Laudi tuæ sacrata,
Et vota læti fundimus
Palmæ tuæ dicata.
O qui beatis Fratribus
Conjunctus & Sorori
Cælum subîsti lucidus;
Nostro pius labori.
Vultus benignos applica
Ut frater advocatus,
Tuaq; Martyr laureâ
Nostros tegens reatus. Amen.

ORATIO.

VIrorum Sanctissime, qui superni Regis vallatus munimine; mundi conculcâsti principem, intercede pro nobis ad Dominum, quatenus tuis suffragantibus meritis, per tua vestigia incedere & cælica gaudia capere valeamus. Per Dominum &c.

GNO-

G N O M A.

S. Placido Martyri Familiaris.

CORpus & animam DEO meo debeo! & æternam servitutem, quòd me redemerit? Creatio verbo peracta est; Redemptio pluris stetit. Si ergo pro illa corpus & animam ei debeo. quid dabo pro ista? Sanguinem.

AD
OMNES SANCTOS
Et Beatos ex Ordine S. BENEDICTI Cœlo receptos.

OFFICIUM.

MATUTINUM.

Ad Omnes SS. Ord: S. Ben:

℣. Domine labia mea aperies, &c.
℟. DEUS in adjutoriũ meũ intende &c
Gloria Patri, & Filio, &c,

HYM

HYMNUS.

AVete mundi lumina
Olim reclusa cellis,
Sed nunc ut orbis Numina
Fulgentiora stellis.
Papæ, Monarchiæ, Principes;
Et Præsulum tiaræ,
Quos pulla vestis nobiles
Sacræ dicavit aræ,
Et quos Eremus incolas
Claustrumq; misit astris;
Tuisq; fixit asseclas
O Patriarcha castris.
Avete magni Cœlites,
Nobis Deum rogate,
Spectate Fratres supplices,
Nostrum Statum juvate.

Antiph: O quàm gloriosum est Regnum in quo cum Christo gaudent o: mnes sancti, amicti stolis àlbis, sequuntur agnum, quocunque ierit. *Ex Offic: Eccl:*

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi,

℟. Et

℟. Et gloriamini omnes recti corde.
Psalm: 31.

ORATIO.

COncede, quæsumus, Omnipotens Deus: ut ad meliorem vitam SS. Monachorum exempla nos provocent: quatenùs quorum solemnia agimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum nostrum! &c.

PRIMA.

Ad Sanctos Patriarchas Ordinum sub Regula militantium.

℣. Deus in adjutorium, &c.
℟. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS,

AVete Patres Ordinum
Sub Regula locati,
Inter trophæa siderum
Ad Numen elevati.
Camaldulensis gloria
Umbrosa, Clara Vallis,
Cistercij tentoria,
Tuûsq; Petre callis:

Gvalberte cum Cohortibus,
Sylvester & sequaces,
Gvilelme cum tot fortibus
Legis sacræ tenaces.
Averte Magni vertices
In gloriæ coronis,
Et filios superstites
Cœli beatæ donis.

Antiph. Laudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua

℣. Hæreditas Sancta Nepotes eorum,

℟. Et in testamentis stetit semen eorum. *Eccles*: 44.

Oratio *ut supra.*

TERTIA.

Ad SS. Martyres Benedictinos.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.

℟. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

AVete Cæli Milites
In asperis probati,
Fuso cruore nobiles,
Christiq; Purpurati.

Quos execranda pravitas
Tot hæresum immolavit.
Et cæcior gentilitas
Sævæ neci dicavit.
Vicistis, jo! Martyres
Enses, cruces, catenas;
Furcas, focos, acinaces,
Irasq; felle plenas.
Quam Proto Martyr maximus
Vobis viam notavit,
Hâc vestra virtus cælitùs
Ad lauream volavit.

Antiph: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni. *Apoc: 7,*

℣, Tanquam aurum in fornace probavit illos,

℟. Et quasi holocausti hostiam accepit eos. *Sap: 3.*

Oratio *ut supra.*

SEXTA.

Ad SS. Apostolos Gentium O. S. B.

℣. Deus in adjutorium meum &c.
℟. Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

AVete Patres Gentium,
Ardentis astra Zeli,
Sal, & medela mentium,
Vicarijq; Cœli.
Noctem fugâstis barbaris
Veram fidem ferendo,
Purgastis hanc Zizanijs
Tot hæreses premendo.
Pars major orbis clamitat
Orci dolis levatus,
Septentrio deprædicat
Per Vos Deo renatus.
In arduis laboribus
Ad sanguinem stetistis;
Fame, siti, sudoribus
Orbi jubar dedistis.

Antiph. Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum, post quem non est alius, *Isai.* 18. ℣. In

℣. In omnem terram exivit ſonus eorum,

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum. *Pſal:* 44.

Oratio *ut ſupra.*

NONA.

Ad Sanctos Epiſcopos, Doctores, Abbates, Ord: S. B.

℣. Deus in adjutorium meum, &c. Gloria Patri, &c,

HYMNUS:

APoſtolorum Filij
  Avete ter beati,
Contra lupos exerciti
  Ad arma ſacra nati.
Plebs Chriſtiana dulciter
  Veſtro pependit ore,
Chriſti fides feliciter
  Veſtro ſtetit labore.
Idola fracta Gentium
  (Ut Tartarus meretur)
Proſtrata virtus dæmonum
  Veſtram manum fatetur,

Per aridam, per æquora
Interriti migrâſtis;
Stupent nepotum ſæcula
Hœc mira quæ patrâſtis.

Antiph: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine. *Pſal:* 44.

℣. Vox Domini in virtute,
℞. Vox Domini in magnificentia *Pſ:* 28

Oratio *ut ſupra.*

VESPERÆ.

Ad SS. Monáchos & Eremitas. O. S. B.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℞. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

AVete clauſtri milites
Et rupium inquilini,
Et Angelorum ſuppares
In carne Seraphini,
Vos in ſubacto corpore
Christi crucem tuliſtis,
Mirante pugnas æthere
Cum gloria ſtetiſtis. Fa-

Fames sitis, jejunia,
Lapis, Cruces, flagella,
Vobis erant communia
In carcerante cella:
At mens Deo plenissima
Vt cervus æstuabat,
Post sprera mundi gaudia
Ad astra se levabat.

Antiph: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mũdus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ. *Hebr:* 11.

℣. Gaudete & exultate,
℟. Quoniam merces vestra copiosa est in cælis. *Matth:* 5.

Oratio *ut supra.*

COMPLETORIUM,
Ad SS. Virgines Ord: S. Ben:

℣. Converte nos Deꝰ salutaris noster
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum, &c.
℟. Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNVS.

AVete, quæ Scholasticam
Estis Ducem secutæ,
Et Regulam monasticam
Pro mentium salute.
Quà prima Christi Filia
Materq; prævolavit,
Hâc, ô tenella lilia,
Pes vester ambulavit.
Vicistis hostem lubricum
Turpémq; carnis æstum;
Florem tulistis candidum
Ad nuptiale festum.
Dum vita fluxit aspero
Inter Crucis labores
Cor volvit agni cantica
Et cœlicos amores.

Antiph: Prudentes Virgines aptate vestras lâmpades, ecce Sponsus venit exite obviam ei.

℣. Oleum effusum (Jesu) Nomen tuum.

℟. Ideo Adolescentulæ dilexerunt te. *Cant* 1:

Oratio *ut supra.*

COMMENDATIO.

Eja Beati Cœlites
Cives sacræ Sionis,
Audite nos superstites
Ex syderum coronis.
Pestem. famem, dispellite
Et Martias procellas,
Favente detur Numine
Sacras tenere cellás:
Ut Patris ardens spiritus
Et zelus, innovetur;
Et laus Dei pro Viribus
Excrescat. amplietur, Amen.

Instructio utilis quomodo Sancti Colendi.

S. Gertrudis in more habuit, quod quando aliquem Sanctum colere vellet, ageret Deo gratias pro beneficijs ipsi collatis recitado aliquoties Psal: *Laudate Dominum omnes gentes. Est etiam Sanctis gratissimum, quando quis eos per Cor Christi salutat, & multo magis si quis id ipsum illis offerat,*

ferat; eo quo summum oblectamentum habent. l, 4. c, 2,

Ad S. MICHAELEM Archangelum.

SAlve Princeps gloriosissime MICHAEL Archangele: Salve nobilissime Dux Superni Exercitus. Salve Decus & Gloria cælestium Hierarchiarum. O Princeps Jllustrissime, tu summæ obligatus es Creatori Tuo, qui absq; ullis tuis meritis te tanta excellentiâ ditavit, tantisq; virtutibus exornavit. O Heros augustissime, Ornamentum Paradisi; gemmaq; præfulgida cælestis palatij. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, omnis lapis pretiosus ornamentum tuum: aurum opus perfectum decoris tui. In delicijs Paradisi Dei ambulas, in medio lapidum ignitorum, in monte Sancto Dei. Tu à Deo constitus es Princeps super omnes animas suscipiendas, & ad Paradisum exultationis introducendas.

Admo-

Admoneo Te, ô Beatissime Princeps, harum omnium gratiarum, quas amplissima Dei liberalitas præ omnium Angelorum ordinibus. Tibi contulit, rogans per amorem mutuum divini, & Angelici cordis tui, ut in die obitus mei animam meam suscipere, tuaq; intercessione clementem mihi Judicem efficere digneris. Amen.

Ad ANGELUM CVSTODEM.

ANgele Dei Sacratissime, mihi à Deo in custodiam deputate, gratias tibi ago pro omnibus beneficijs, quæ mihi in corpore & anima unquã exhibuisti. Laudo & glorifico Te quod mihi miserrimo tam fideliter astare, atq; contra omnes hostium insultus me tueri dignaris. Benedicta sit illa hora qua mihi in custodiam datus es. Benedicta sit Tua in me charitas, omnisq; tua solicitudo, qua salutem meam promovere non cessas. In recompensationem omnium obsequiorum mihi à juventute exhibitorum, offero

tibi prædigniſſimum, nobiliſſimumq; Cor Jeſu Chriſti, ſicut eſt ſuperabundans omni beatitudine, rogans mihi ignoſci, quod toties Sanctis tuis inſpirationibus retinendo, te chariſſimum amicum meum contriſtaverim: atq; deinceps firmiter proponens tibi obedire, Deoq; meo fideliter ſervire. Amen.

Ad S. JOANNEM Evangeliſtã.

Hanc ipſe Chriſtus docuit S. Gertr: l. 4 c. 4.

O Beate JOANNES Evangeliſta, obſecro te per illũ prædulcẽ fidelitatem, quam Cor tuum ſenſit, cum Chriſtus te, cæteroſq; Apoſtolos Orationem Dominicam doceret, orans ut mihi obtinere digneris, quò ſecurâ ipſi ſemper perſeverantiâ merear: uſq; in finem vitæ meæ fideliter adhærere. Amen. *Pater noſter.*

Ad S. Pænitentium Patronam MAGDALENAM.

B. Magdalena S. Mechtildem docuit ſequentem Orationem, & quod ſic oranti, ante

mortem

mortem suam peccata remittantur, & in amore Dei proficiat. l. 1. c. 46.

GRatias tibi ago, benignissime JESU, pro illo pietatis opere, quod B. Maria Magdalena tibi exhibuit, quando lachrymis pedes tuos rigabat, & capillis capitis sui tergebat, eosq; osculabatur, & ungvento ungebat, ex quo tantam, charitatis tuæ abundantiam, cordi & animæ ejus infudisti, quod extra te nihil posset diligere: rogans ut meritis ejusdem lachrymas veræ pœnitentiæ mihi concedere, divinumque amorem cordi meo infundere digneris, Amen.

Ad S. ERASMUM.

S. Benedictum specialem habuisse ad hunc Sanctum devotionem testatur lepes cũ alijs.

SAluto & veneror Te Sacratissime Martyr Christi Sancte Erasme. Adoro & laudo, & glorifico immensam bonitatem SS. Trinitatis pro omni gratiâ, quam ex sua infinita bonitate tibi conferre dignata est, O Beatissime

Martyr

Martyr Christi invictissime miles purpurati exercitûs, Tu stabilimentum fidei, Tu gloriosus Heros Ecclesiæ, decor & gloria Paradisi: benedictus es inter Martyres, & gloriosus specie inter cæli incolas, In augmentum gloriæ, & beatitudinis tuæ, offero tibi prædignissimum Cor Jesu Christi, sicut illud in unione humanitatis possedit repletum, & perfectum in omnibus bonis, quæ unquam de eodem in aliquod cor humanum profluxerunt, devotissime tibi supplicans, per omnes & singulas pretiosi sanguinis tui guttas quas fudisti, per omnia durissima vulnera, quæ suscepisti. Ut in hora exitus mei, quam tibi sincerâ fidelitate comnendo, mihi tuo auxilio adesse velis, atque in suppletionem meritorum quæ mihi deerunt JESV Christo Judici meo illas virtutes offerre, per quas te cognoscis ipsi maxime complacere. Amen.

Ad Sanc

Ad Sanctum vel Sanctanm cujus Festum celebratur.

LAudo, glorifico, & benedico te o San: N., & ex omni virtute mẽtis meæ gratulor tibi de omni gloria & honore, qui ex liberalissima divinæ pietatis superessluentia hodierna die tibi præstitus est, Reminiscere superesfluentissimi illius gaudij, quo exultabas dum per ministerium SS. Angelorum conspectui gloriæ Domini æternis præmijs remunerandus (: vel da) præsentareris. Recordare o Beatissime illius honoris, & exultationis, quando per manum Domini diadema regni capiti tuo impositum, & Sacratissima anima tua, in sede gloriæ callocata est, Propter hæc, aliaque gratiarum dona, à Domino unquam collata, adoro & laudo & benedico ineffabilem Dei benignitatem. Et in vinculum perpetuæ dilectionis; & fidelitatis, quo te mihi alligare desidero, offero tibi suavissimum omnisq́; boni contentivũ

Cor

Cor Jesu Christi una cum omni dilectionis, & dignationis affectu, quem tibi unquam exhibuit in terris, & modò sine fine exhibet in cœlis. Demum plenâ fidelitate commendo me tuis SS. Orationibus, orans & obsecrans, ut in die obitus mei in supplementum negligentiarum mearũ, Domino offerre digneris, Omne studium & præparationem quá hodierna die Assumptionis tuæ perfectissimè consummatus (v ta) coram Domino astitisti. Amen.

Laudate Dominum omnes Gentes, tertio dic S. Gertr:

Ad S. STANISLAVM.

Abbatem S. Crucis & Socios Martyres. Bucel: ad 17. Julij.

HYMNVS.

O Cruore purpurata
Et jam Christo sociata
Salve Cohors Martyrum:
Quantam Regno vim cœlorum

Intu-

Intulistis nec malorum
Vis effregit animum.
Nec nunc desunt persequentes
Quin in nostras sævit mentes
Mundus caro sathanas.
Nec tam dira sunt tormenta
Quam nociva blandimenta
O nos servet charitas.
O vos Fratres triumphãtes
Et in cœlis jubilantes
Perenni lætitia.
Nostra DEO præsentate
Vota, simul nos servate
Stabiles in gratia.

Affectus: Vos felices Martyres, qui abdicatis mundi illecebris, in hæc juga cælestibus æstuantes consessistis, ab immani Tartarorum impetu oppressi, emensis turbulentæ vitæ hujus fluctibus, victimam Sacris acceptam Sanguine vestro libantes, ad æthereas sedes & sumptis divinitus animis evolastis. Favete cælites nobis, & hæc cacumina ab hostili furore

rore tueamini, nosq; in his vitæ præcipitijs moderamini, ut hic labe criminum expiati, exuta mortalitate, propitium Numen vobiscum sortiamur. Amen.

Invocatio Omnium Sanctorum.

Quam Christus B. Mechtildem docuit, & orare jussit. l. 1. c. 55.

SAncti Patriarchæ & Prophetæ saluto Vos per dulcissimum Cor Jesu Christi: rogans; ut Deo pro me offerre dignemini vestrum ardens desiderium, quod ad Incarnationem Christi habuistis.

Saluto Vos, ô SS. Apostoli per dulcissimum Cor Jesu Christi rogans, ut Deo pro me offerre dignemini fidelitatē, & constantiam Vestram, quâ cum Christo in tentationibus suis permansistis, & prædicatione Vestra fidelem populum congregastis.

Saluto vos, ô SS. Martyres, per dulcissimum Cor Jesu Christi, rogans ut Deo pro me offerre dignemini Ve-

ſtram patientiam! qua ſanguinem Ve-ſtrum pro amore Chriſti effudiſtis.

Saluto Vos ô SS. Confeſſores: per dulciſſimum Cor JESU Chriſti, orans ut Deo meo pro me offerre dignemini veſtram Sanctitatem, qua alijs verbo, & exemplo viam vitæ oſtendiſtis.

Saluto Vos o SS. Virgines per dulciſſimum Cor Sponſi veſtri: rogans, ut Deo meo offerre dignemini puritatem, & caſtitatem veſtram, qua promeritæ æſtis, quod modo in cælo Chriſto ſitis proximæ.

Saluto & veneror Vos omnes Sancti Dei, per dulciſſimum Cor JESU Chriſti, & per id ipſum ago DEO gratias pro omni bono, quòd ex eodem in ſalutem veſtrûm profluxit, orans omnes communiter, & ſingulos ſingulariter, ut quilibet Veſtrum, pro me miſero offerre Deo dignetur illas virtutes, & perfectiones, quibus cognoſcit ſe maximè Deo placere, Amen

Ad hos Sanctos quorum Reliquiæ in Ecclesijs Nostri Ordinis Asservantur.

HYMNUS:

ADeste Sancti plurimo
Dum thure; Vestra dū pijs
Coluntur ossa ritibus
Votis favete supplicum.:
Non illâ, quanquam tristibus
Imum redacta in pulverem
Dum sepulchris squalleant
Divina virtus deserit.
Sed Sancta præsenti fovet
Impletque templa numine,
Sed & futuræ spiritus
Post sæcla servat gloriæ.
Hinc ille, qui nostris latet
Cinis sub aris conditus
Ægris medetur efficax
Torquet fugatq; dæmones.
Sit summa Christe laus tibi
Venture, Judex sæculi,
Cum Patre, cumq; Spiritu
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Cu-

℣. Custodit Dominus omnia ossa eorũ
℟. Unum ex his non conteretur.

ORATIO.

DEUS, qui hanc Sacrosanctam Ecclesiam tot voluisti Sanctorum decorari reliquiis, auge in nobis resurrectionis fidem, & fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum nostrum &c.

HORA

Oratio efficacissima, pro Spiritualibus & carnalibus Amicis.

Hanc B. Gertr: Christus docuit, & virtute Ejus amatoria compassione singulis condescendit. l. 4. c. 3.

BEnignissime JESU, omnes eos, qui se indignis orationibus meis commiserunt, commendo Divinæ tuæ cognitioni, & amori. quorum ductu de sinu Patris ad terras propter salvandum hominem descendisti. Et in u-

nione amoris illius, quo Patri Spiritum Tuum commendasti, commendo includo illos dulcissimo Cordi Tuo: applicans & exhibens tibi id ipsum in unione amoris illius, quo illud pro salute humana, humanum suscepisti, atque dilectis amicis tuis in specialis amicitiæ prærogativam sæpius dedisti, ut inde benefacias illis, pro quibus oro, & orare teneor.

Deinde dic unum Pater noster, quod sic offerras.

BOne JESU, offero Tibi, hanc Orationem ad æternam laudem tuam, ut exinde benefacias tuis meisq; specialibus Amicis, secundum beneplacitum Tuæ divinæ pietatis. Amen.

Cum summo beneplacito Christi pro Amicis suis unum Miserere *offer* S. Gertr: l. 4. c. 2.

PRO INIMICIS.

In Christo amore pro inimicis orare Reg; c. 4. *Cum B. Gertrudis orasset, ut sequitur. Christus coram Deo Patre procidens*

obtulit

obtulit pro ea fructum totius Sanctissimæ conversationis suæ, in emendationem omnium quibus unquam contra ipsum deliquisset.

DOmine JESV, in unione amoris, & suavitatis illius excessivæ, quâ inter ipsos etiam ineffabiles passionis dolores, & pœnas mortis, pro crucifixoribus tuis rogâsti, dicens: Pater ignosce illis, ex intimo affectu deprecor Te, ut digneris dimittere omnibus, qui unquam in aliquo contra me deliquerunt. Amen.

DIES VI.
Passionis Christi Rememorationi SACRA.

S. Gertrudi revelatum est: quòd quando quis ruminat Orationes de Dominica Passione, in infinitum hoc majoris virtutis, esse quam de cæteris exercitiis; & licet tepesceret in devotione, semper tamen benigniùs respiceretur à Domino, si Passionis memoriam non omitteret celebrare. l. 4. c. 39.

QVINQVE OBLATIONES Passionis Christi pro peccatis.

Christus S. Gertrudi: Crede indubitanter quod & si homo quantum libet gravi pondere peccatorum se senserit depressum. Offerendo Deo Patri meam innocentissimam Passionem credat per hoc Indulgentiam obtinere.

Oblatio prima.

OMnipotens æterne DEUS, inexhauribilis fons misericordiæ, qui non contemnis indignos venientes ad Te, sed mundas eos a peccatis suis. Ecce ego peccator, qui me gravissimo peccatorum pondere sentio depressum, in spiritu humilitatis & in animo cõtrito confiteor, quod Tibi DEO meo valde ingratus exstiterim, teq; multipliciter offenderim, Sed nunc venio ad Te, & vere contritus procido ante Te misericordiamque tuam imploro. Et quia dignius nil habeo pro gravissimis peccatis meis tibi satisfaciendi, quam Sanctissimam Vitam & Passio-

Passionem Filij Tui, ideo per dulcissimum Cor Jesu Christi, in virtute Spiritus Sancti, pro omnibus peccatis meis, quæ à juventute mea usq; in hanc horam delectatione & consensu cordis mei commisi, offero Tibi susuperexcellentem illum amorem, quo Idem Vnigenitus tuus humanitâtem assumpsit, & per triginta tres Annos tot labores & defatigationes, tot angustias & miserias nostri causa sustinuit. Offero tibi anxietatem illam & tristitiam quam habuit dum diceret: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Offero Tibi sudorem Ejus sanguineum, quem vehemens amor timorq; è Corpore ejus expressit, & trinam Orationem quam in agonia constitus ad Te fudit. Offero tibi ignominiosam Ejus captivitatem, verbera & tunsiones, injurias & blasphemias, colaphos & alapas, vellicationes & conspuitiones, quas in domo Annæ & Caiphæ tota illa nocte sustinuit: Hæc omnia

cum gratitudine & compassione Tibi repræsentans, rogo inexhaustam bonitatem tuam, ut eorum virtute & meritis à peccatis meis me abluas, tibiq; per omnia placentem reddas. Amen.

Post singulas Oblationes, si libet poteris addere unũ *Pater noster.*

Oblatio Secunda.

PIissime DEVS, pro omnibus perversis & malis operibus, quæ singulis membris corporis mei commisi; offero tibi ineffabilem illam injuriam & dolorem, quem Filius tuus sustinuit, dum tam contumeliosè in Faciem suam percuteretur & conspueretur, ante Pilatum & Herodem injustè accusaretur, probrosè illuderetur, & blasphemè injuriaretur. Offero tibi ignominiosam vestium Ejus detractionem, immitem ad columnã alligationem, dolorosam flagellationem, sævam vulnerationem, & copiosissimam Sanguinis effusionem. Respice piè Pater cum quanto pudore

ad Columnam steterit, quam intimè ad Te suspiraverit, quot verbera & ictus acceperit, quod vulneribus Caro Ejus discissa fuerit, quanti dolores medullas & ossa ejus penetraverint, quotque Sacratissimi Ejus Sanguinis guttæ è vulneribus Ejus effluxerint. Hæc omnia cum intima gratitudine & compassione tibi offerens rogo, ut eorum virtute & meritis in gratiam tuam me recipias, tibique per omnia placentem reddas. Amen.

Tertia Oblatio.

MItissime DEUS, pro omni neglectu bonorum operum, quæ ex pigritia & acedia omisi, offero Tibi amorem illum, quo Filius tuus intolerabiles illos dolores sustinuit, quando spinis coronabatur, impie salutabatur, turpiter conspuebatur, arundine & alapis percutiebatur. coram Tribunali sistebatur. injustissime condemnabatur, & homicidæ postpositus. impia plebis voce ad mortem petebatur.

tur. Offero tibi membrorum tuorũ defatigationem, lictorum immiseri-cordiam populi applausum & irrisio-nem, sanguinolenta vestigia, & quid-quid hac tota via egit & sustinuit. Hæc omnia cum gratitudine & compassio-ne Tibi repræsentans oro inexhaustam bonitatem tuam, ut eorum virtute & meritis à peccatis meis me abluas, tibiq; per omnia placentem reddas. A.

Oblatio Quarta.

MIsericordissime DEUS pro omni-bus peccatis & iniquitatibus me-is, quas corpore & anima mea com-misi, offero tibi nimium illum dolo-rem, quem Filius tuus sustinuit, cum vestimenta ejus vulneribns suis forti-us agglutinata, cum refricatione o-mnium vulnerum misericorditer de-traherentur. Offero tibi in huma-num illud discriminumq; martyrium, quod sustinuit, cum sacratissimæ Ma-nus Ejus, & pedes cum summo dolo-re Cordis sui Cruci affigerentur. Re-

cordare

cordare pijssime Pater, quam humiliter, quamq; miserabiliter, Filius Tuus super Crucem decubuerit, & præ violentia intensissimi doloris quæsiverit ubi caput suum declinaret. Recordare, quot lachrymas oculi Ejus fuderint, quot suspiria è corde Ejus proruperint, quot guttæ Sanguinis è vulneribus ejus effluxerint, quotq; dolores & horrores mortis omnia Ejus viscera vehementissimè penetraverint. Omnes has guttas & lachrymas, omnes dolores & livores, omnes torturas & luxationes membrorum, omnes gemitus & suspiria cordis: omnem amorem & patientiam, quâ hæc omnia Filius Tuus sustinuit, repræsento & offero Tibi cum intima gratitudine & compassione orans, ut me à peccatis meis emundes, tibiq; per omnia placentem reddas. Amen.

Oblatio Quinta.

CLementissime DEVS, pro omnibus mortalibus & venialibus pec-

catis meis, pro omnibus omissionibus & negligentijs meis, pro omnibus culpis & pœnis mihi debitis. Offero tibi ineffabiles illos dolores, qui Filij tui viscera penetrarûnt, dum una cum Cruce in altum levatus violenter dimitteretur, totumq; pondus Corporis tribus clavis sustentaretur. Offero tibi omnes irrisiones & blasphemias ipsi irrogatas, omnia verba in Cruce prolata, omnes lachrymas quas fudit; omne frigus & tremorem membrorum, quem pertulit; omnes angustias & pressuras cordis quas sustinuit, omnia suspiria & preces, quas ad te fudit, omnem pudorem & verecundiam, quam ob nuditatem suam habuit, omnes actus virtutum, quos in Cruce elicuit, omnem compassionem, singultus & lachrymas, quas desolatissima Mater Ejus, cæteriq; Amici fuderunt: & demum offero tibi amarissimam, innocentissimam, crudelissimamq; mortem, quam violentissimus

simus amor & dolor ei intulerunt, humillime rogans, ut per merita Sanctissimæ vitæ, Passionis & mortis Ejus animam meam pretiosissimo illo Filij tui Sanguine ab omnibus maculis tuis abluas, meritisq; & virtutibus humanitatis suæ exornes, & in exitu suo, Sanctissima Passione & morte sua communias. Amen.

Oblatio brevior.

Quam miro modo ab omnibus legentibus acceptat Dominus Revel: S. Gertr. l. 1. c. 32

O Amantissime Pater, pro emendatione omnium peccatorum meorum offero tibi omnem Passionem Tui dilectissimi Filij, quam ab illa hora, qua in præsepio super fænum reclinatus vagitum dedit, & deinceps pertulit, per infantiles necessitates, pueriles vagitus adolescentiles adversitates, & juveniles passiones, usq; ad horam illam, quâ inclinato capite, in Cruce clamore valido Spiritum emisit. Et in supplectionem omnium

negligentiarum tibi offero, Pater amantissime, omnem conversationem Filij tui Sanctissimam, quæ in omnibus cogitationibus, verbis & factis perfectissima fuit, ab hora quâ missus ab arce Throni per Vterum Virginis introivit in regionem nostram, usq; post illam horam, quâ Victricis Carnis Tuis Paternis vultibus præsentavit gloriam. Amen.

Oratio ad Christum Passum.

Per hanc promerita est, S. Gertrudis Stigmata SS. Vulnerum Christi in corde suo. l. 2. c. 4.

DOmine JESV Christe, Filij DEI vivi, da mihi toto corde, pleno desiderio, sitienti animâ ad Te aspirare, ac totum spiritum meum, & omnia interiora mea ad Te, qui es vera beatitudo, anhelare. Scribe misericordissime Domine, Vulnera Tua in corde meo pretioso Sanguine Tuo, ut in eis legam dolorem, pariter & amorem tuum, & Vulnerum tuorum memo-

memoria, jugiter in secreto cordis mei permaneat, & dolor cumpassionis Tuæ in me excitetur, & ardor dilectionis Tuæ in me accendatur. Da quoque ut omnis mihi creâtura vilescat; & tu solus in corde meo dulcescas. Amen.

Tres Gratiarum Actiones ad Christum Dominum.

Per has Orationes, tale mihi præstat obsequium. 1mo. *ac si vulnera mea unguento unxisset.* 2do. *ac si sitim meam extinxisset,* 3tio. *Hoc mihi ita gratum est, ac si me de Cruce liberasset.* l. 1. c. 15 *Christus ad S. Mech:*

O Agne Dei mansuetissime, qui tam miserabiliter, trium horarum spatio in Cruce pependisti, ex affectu totius universitatis gratias tibi ago, pro intolerabili illo dolore quem sustinuisti; dum in Sacra Cruce tam immisericorditer extensus fuisti; quod omnia ossa tua dinumerari potuerint: orans ut ob illum dolorem mihi dimittas

mittas quidquid membris meis contra bonitatem tuam deliqui, Amen.

O Agne DEI innocentissime, per gratitudinem universæ creaturæ gratias tibi ago pro amara siti, quam in Cruce pro salute mundi patiebaris, dum lachrymabili voce clamares, sitio; nec tamen quidquam præter fel & acetum tibi propinaretur: rogans per acerbitatem sitis illius, ut dimittas mihi quidquid immoderato cibo & potu deliqui. Amen.

O Agne DEI Sacratissime, per mutuam gratitudinem colendæ Trinitatis, gratias Tibi ago pro immani illo martyrio, quod subijsti, dum tam immisericorditer, manibus & pedibus clavis ferreis Cruci affigereris; adeò quod Cor tuum præ dolore contremisceret, & omnes nervi tui contraherentur. Per dolorem hunc tam fortem; & per amaram tuam mortem deprecor, ut culpas manuum pedumque meorum abluas; eademque Vulneta

nera tua Sanctissimo Patri tuo ad placandum eum ostendas. Amen.

Laus Christi in Passione sua Contempti, quam Ipse B. Mechtildem docuit. l. 1. c. 23.

LAudo & benedico Tuam incomprehensibilem Omnipotentiã JESU Magnificentissime, in qua in Tua Passione pro homine totus impotens factus est. Laudo & glorifico Tuam inscrutabilem Sapientiam, in qua pro insipiente reputatus es. Laudo & magnifico amorem tuum ineffabilem, in quo pro electis gratis odio habitus es. Laudo & exalto mitissimam Tuam misericordiam, in qua pro homine horrendæ morti adjudicatus es. Laudo & adoro suavissimam dulcedinem tuam, in qua per amarissimam sitim amaricatus es Amen.

Blanditiæ Christi.

Quicunque contra blasphemias mihi illatas, me salutaverit isto affectu, huic me in judicio illo districto, eadem blanditate exhibe-

exhibebo, ex quo obstupescent, & territi fugient omnes adversarij illius. S. Gertr. l. 4. c. 22. *dixit Christus Dñus.*

AVe vivificans gemma divinæ nobilitatis. Ave immarcescibilis flos humanæ dignitatis, JESU amantissime, pro omnibus blasphemijs, & contumelijs Tibi in terris illatis, ex affectu, & amore totius creaturæ, saluto & benedico Te, tot millenis vicibus, quot guttas Sanguinis in Passione Tua fudisti, quot Vulnera in Sacro Corpore Tuo habuisti, quot colaphos, pugnos, & alapas accepisti. Benedico, & saluto Te dulcissime JESU, tot millenis vicibus, quot suspiria emisisti, quot lachrymas fudisti, quot dolores sustinuisti. Benedico & saluto Te tot millenis vicibus quot actus virtutum elicuisti, quot desiderijs salutem hamanam sitisti, qvot nutibus Matrem, & amicos aspexisti. Benedico & saluto Te tot millenis vicibus, quot lapsibus cecidisti, quod deli-

deliquijs defecisti, quot motibus manus aut pedes movisti. Benedico & saluto Te, mitissime JESU, tot millenis vicibus quot guttas Sanguinis sudâsti; quot pœnosis gressibus ambulasti, quot gemitibus Patrem exorasti. Benedico & saluto te, suavissime JESU, tot millenis vicibus, quot Vulneribus in Flagellatione concisus; quot spinis in coronatione vulneratus quot fætentibus sputis es maculatus. Benedico te & saluto tot millenis vicibus, quot funibus ligatus, quot opprobrijs saturatus, quot impijs salutationibus es salutatus. Benedico & saluto te tot millenis vicibus; quot falsis testibus accusatus, quot fædis mendacijs oneratus; quot iniquis judicijs condemnatus Has omnes laudes & salutationes mille vicibus multiplicatas tibi offero, & in singulis horis offerre desidero, benignissime Jesu, toto affectu cordis, & animæ meæ desiderans, omnes injurias, contume-

lias

lias, & blasphemias tibi dulcissimo Redemptori meo tam indebitè objectas prorsus abolere & annihilare: orans, ut desiderium pauperis tui non despicias; sed juxta ingenitam tibi benignitatem ratum habeas & gratanter acceptes. Amen.

Salutatio Vulneris Lateris.

Ex S. Gertrude, & Mechtilde.

PIe Pelicane JESU Domine, qui nos immundos mundasti tuo Sanguine: gratias tibi ago pro dulcissimo superdignissimoq; vulnere amoris, quod in Cruce suscepisti, dum invictissimus amor, amoris tui sagittâ, mellifluum latus tuum aperuit, dulcissimumque Cor tuum amoris vulnere sauciavit: Benedicta sit hæc salutifera plaga, Sacratissimumque Vulnus; & benedictus sit adorandus Sanguis, & aqua salutis, quæ pro ablutione peccatorum inde mananârunt. Hac unda efficacissima, pie Jesu me immundum ablue, & hoc sacro cru-

ore me infirmum unge, & vivifica, & fac ut vel unica divini hujus liquoris guttula in exitu animæ meæ, sit portio, & hæreditas mea. Per tuum trãsvulneratum Cor transfige amantissime Jesu, cor meum jaculo amoris tui, in tantum, ut nihil terreni continere possit, sed à sola efficacia amoris tui contineatur. Amen.

ORATIO IN TRIBULATIONE:

Quam S. Gertrudis cum Sororibus suis legebat l. 3. c. 31.

O Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis, obsecro digneris oculis tuæ pietatis in me respicere, sicut dilectum Filium tuum in monte Oliveti in angustia Spiritus sui ad Te clamantem, & sudore sanguineo faciem terræ irrigantem respexisti. Nunquid non est uoluntas tua, Pijssime Pater quòd in necessitatibus nostris ad Te confugiamus, teq; pro avertendis malis invocemus? cum

igitur

igitur à nobis rogari, & invocari velis; hinc propter voluntatem tuam deprecor, ut juxta laudabilissimum beneplacitum tuum me ab hac tribulatione liberes. O Pater Benignissime, Aures tuæ pietatis inclina precibus meis, & eripe me ab hâc angustia. Dulcis Jesu, per omnes angustias & pressuras, quas pro salvando homine suscepisti, aufer calicem hunc a me. Jesu pientissime, offero Tibi illam excellentem Orationem, quam præ mortis angustia sanguinei sudoris testimonium reddidit devotam, & ardens amor divinitatis tuæ efficacem, obsecrans per virtutem Ejusdem perfectimæ Orationis ut me exaudias indignum, & ab hac angustia liberes. Ante pedes benignitatis, & ante oculos misericordiæ tuæ denuò pressuram cordis, & afflictionem spiritus mei, tibi eam offero, quod tibi magis placitum fuerit efficias. igitur tuâ intentione & resignatione, tuo Corde &

de & ore, deprecor Te dicens: Abba Pater, omnia Tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me; verumtamen non mea sed Tua voluntas fiat. Amen.

Amantissime Jesu, pag: 91

DIES VII.

Ex Consuetudine S. Romanæ Ecclesiæ B. V. MARIÆ hæc dies Sacra, & Benedictino Oratori sit.

DEO GRATIAS,

Pro Gratijs B. Virgini concessis.

B. Gertrudis cum hanc Oratiunculam orasset B. V. Maria SS. Trinitati supplicabat ut tantum illi gratiæ largiretur, quantum possibile foret homini in hac vita percipere. Cujus precibus tota Trinitas inclinata. l. 4. c. 53.

BEnedicta sit ineffabiliter dignè extollenda DEI Patris Omnipotentia: Benedicta sit admiranda Filij Sapientia; Benedicta sit Spiritus Sancti

Paracle,

Paracleti stupenda benevolentia, quâ prævaluit, scivit, & dignata est Trinitas semper veneranda in salutis nostræ subsidium, tam plenam omni gratiâ Virginem formare, cui superabundantiam divinæ suæ beatitudinis tam large communicaret, Amen.

Salutatio B. V. MARIÆ.

Hac salutatio mirè gratiosa V. Mariæ quæ Addidit. quod in exitu animæ apparebo ad consolationem ejus. S: Ger: l. 5. c. 19

AVe candidum lilium, fulgidæ semperq; tranquillæ Trinitatis, Ave Rosa fulgida Cœlicæ amænitâtis, de qua nasci, & de cujus lacte pasci Rex cælorum voluit, adsis mihi misero peccatori nunc & in hora mortis meæ Amen.

Ave MARIA aureum.

S. Mechtildi apparens dixit: hanc Salutationem nulla transcendit, nec unquam aliquis me dulcius salutare potest. lib: de B: V. M. c. 5.

Ave

AVe MARIA in illa reverentia quà DEVS Pater per Ave Te salutavit, suaq; Omnipotentia ab omni vi culpæ liberavit. Ave MARIA in illo amore, quo Filius Dei suâ Sapientiâ Te illuminavit; cœlum & terram effecit, Ave MARIA in illa dulcedine Spiritus Sancti, quâ Te totam penetrâvit adeoq; gratiosam effecit, quod omnis, qui per Te gratiam quærit, eam inveniat. Recordare illius operationis, quam tota B. Trinitas in Te operata est, cum Carnis Tuæ substantiam cum natura Divina in una Persona adunaret, ita quod DEVS fieret homo, & Homo DEVS, ex quo quantam in illa hora dulcedinem & lætitiam conceperis, nullus homo plenè valet experiri. Ideoq; omnis creatura cum admiratione agnoscit, & confitetur Te benedictam, & superexaltatam super omnes cælicas, atq; terrenas creaturas: & benedictum Fructum Ventris Tui JESVM, qui

omnia vivificat, sanctificat & benedicit in sæcula. Amen.

Quinque Gaudia B. Virginis.

A Christo Domino S. Mechtildi instillata. l. de B. M. V. c. 9.

AVe præclarissima Virgo in effluxu illo dulcissimo, qui ab æterno è Corde SS. Trinitatis ob Beatissimam tuam præordinationem in te effluxit.

Ave Virgo Sacratissima in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis ob tuam beatissimam conversationem, & vitam in te effluxit.

Ave Virgo nobilissima in effluxu illo dulcissimo, qui à Corde SS. Trinitatis, per doctrinam & prædicationem Filij tui in te effluxit.

Ave Virgo amantissima, in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis, è Filij Tui amarissima Passione, & morte in te effluxit.

Ave Virgo reverendissima in effluxu illo dulcissimo, qui è corde SS. Trinitatis in te effluxit, cum omni gloria,

ria, magnificentia, præ dulciq; gaudio, quo nunc exultas. & in æternum exultabis, tanquam Electa super omnes creaturas in cælo, & in terra, antequam terra formaretur & orbis. A.

Ad Ecce Ancillam.

B. Virgo dicebat ad B. Gertr: Quicunq; me in isto gaudio salutaverit, Ego quasi Mater ejus, illi fideliter succurram. l. 4. c 12

LAudo & saluto Te, Mater beatitudinum dignissimum Spiritûs Sancti Sacrarium, & devota mentis intentione recolo illud ineffabile gaudium quod persensisti, quando in verbo illo. *Ecce Ancilla Domini*, te totam, & omnia circa te agenda cum plena fiducia divinæ voluntati commisisti, orans monstres esse te Matrem, mihique semper succurras per viscerum misericordiæ affluentiam salutarem. Amen.

Oblatio Cordis JESU B. V. MARIÆ.

Hanc à B. Gertrude. cum gaudio summo suscepit

suscepit. Id ipsum etiam edocuit B. Mecht: l. 4. c. 2, Vnde suaserim, ut hanc Orationem tibi facias familiarem.

LAudo & saluto Te Virgo prædulcissima, in unione illa intima, quâ Deo præ omnibus creaturis es conjunctissima. Et in supletionem omnium negligentiarum, quas in Tuo pia Mater servitio commisi, offero tibi nobilissimum Cor JESV Christi, cum omni affectu filialis dilectionis, & fidelitatis, quem Tibi Supremo modo exhibuit in terris, & deinceps sine fine exhibebit in cœlis. Amen.

Suppletio.

B. Virginis gratissima l. 4. c. 31. Revelat: S. Gertrudis.

O JESV dulcissime, per amorem quo pro nobis ex purissima Virgine, incarnari & nasci dignatus es, ut pauperum tuorum defectus suppleres; obsecro te, ut per dulcissimum Cor tuum Virgineæ Matri tuæ supplere digneris omnes defectus, quos

per ne-

per negligentiam, & ingratitudinem multipliciter admiſi in ſervitio & honore tam benignæ Matris, cujus Maternam clementiam in neceſſitatibus meis mihi ſemper fateor promptiſſimè adfuiſſe, pro cujus condigna gratitudine offer quæſo illi pijſſime Jeſu dulciſſimum Cor tuum, ſicut eſt ſuperabundans omni beatitudine: exhibens ei in eodem omnem affectum tuum divinum, quo eam ab æterno præ omni creatura, gratuito in Matrem elegiſti, præſervaſti, creâſti, omnibuſque virtutibus & gratijs incomparabiliter decoraſti. Nec non omnem benignitatem, qua ei unquam blanditus es in terris, cum te infantem in ſinu ſuo foveret, omnemq; fidelitatem quam deinceps per omne tempus quo cum hominibus converſatus es, filiali affectu exhibuiſti, obediens ei in omnibus ſicut Filius Matri, qui es Gubernator cœli; & ſpecialiter in hora mortis, dum quaſi pro-

prij cruciatus oblitus, & ejus dolòlationi medullitus compassus custodem eidem, & filium providisti, Et insuper affectum dignationis illius inæstimabillis, quo Eam in die jucundissimæ Ascensionis suæ super omnes Choros Angelorum exaltasti, ac Cœli terræq; Dominam, & Reginam constituisti. Sicque redde eam, bone Jesu, mihi placabilem Matrem, ac in vita & morte mea piam advocatam & Patronã, A.

OFFICIUM.
B. MARIÆ VIRGINIS.

S. Gertrudis à Christo didicit, intellexitque quod si quis hoc Officium recitaret, toties Christus Cor suum B. Virgini offerret, pro quo Virgo Mater secundum liberalitatem Maternæ pietatis suæ benignè quemlibet remuneraret. l. 3. c. 46

AD MATUTINUM.

Laudo Te pijssime JESV, per Cor tuum dulcissimum, in innocentia integerrimæ Virginitatis illius, quâ dignissima Mater tua Te Virgo concepit,

cepit, Virgo peperit, & post partum Virgo inviolata permansit. Et imitata est tuam innocentiam, quâ tu hora Matutina pro redemptione generis humani captus, ligatus, alapis & fustibus cæsus, diversisque contumelijs, & opprobrijs miserabiliter, & immisericorditer es affectus.

Sequens Oratio ad omnes horas dici debet.

LAudo & saluto Te Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus Sancti Sacrarium, per dulcissimum Cor Jesu Christi DEI Patris, tuique amantissimi Filij, orans, ut in omnibus indigentijs & in hora mortis nobis succurras. Amen.

AD PRIMAM.

LAudo Te pijssime Jesu, per Cor tuum dulcissimum in humilitate illa placidissima, qua intemerata Virgo magis, magisq; habilitabatur ad te suscipiendum: & imitata est tuam humilitatem, quâ tu Judex Vivorum

& mortuorum hora prima coram gentili homine judicandus astare humiliter es dignatus, pro redemptione generis humani,

Laudo & saluto *ut supra*:

AD TERTIAM.

LAudo Te pijssime Jesu, per Cor tuum dulcissimum in desiderio illo ferventissimo, quo pijssima Virgo Te Filium Dei de sinu summi Patris traxit in Vterum suum Virginalem: & imitata est te in illo desiderio ferventissimo quô tu salutem humanam desiderasti, cùm duris flagellis cæsus, spinis coronatus, & horâ tertiâ Crucem ignominiosissimam tuis fessis cruentatisq; humeris cum summa mansuetudine, & patientia dignatus es bajulare. Laudo & saluto te *ut supra*.

AD SEXTAM.

LAudo Te pijssime Jesu, per Cor tuum dulcissimum, in spe illa securissima, quâ Cœlica Virgo per bo-

nam

nam voluntatem, & sanctam intentionem semper ad laudem tuam aspirabat: & imitata est te, qui in alta Crucis arbore suspensus, inter ipsas amarissimas montis acerbitates totis viribus anhelabas ad humani generis redemptionem, unde & clamabas: sitio. In tantum scilicet; salutem animæ humanæ, quod si necesse fuisset, adhuc duriora, & amariora supplicia pertulisses, teque ad universa pro redimendo homine gratis paratum obtulisses.

Laudo & saluto te, *ut supra.*

AD NONAM.

LAudo te pijssime JESV, per Cor tuum dulcissimum, in ardentissimo illo amore mutuo, scilicet divini cordis, & intemeratæ Virginis, quæ divinitatem excellentissimam tenerrimè conjunxit, ac inseparabiliter conunivit humanitati in Vtero Virginali. Et imitata est Te vitam viventium, hora nona in Cruce præ amoris ma-

gnitudine morti amarissimæ succumbentem ob humanam redemptonem.

Laudo & saluto te. *ut supra.*

AD VESPERAS.

LAudo te pijssime Jesu, per Cor tuum dulcissimum, in fide illa constantissima, quâ B. Virgo sola tēpore mortis tuæ recedentibus APostolis, & desperantibus universis, in vera fide perstitit immobilis. Et imitata est te in fidelitate illa, quâ jam mortuus de Cruce depositus, subsecutus es hominem etiam usque ad limbum inferni. Vnde ipsum Omnipotenti manu misericordiæ tuæ eripiens, transuexisti ad gaudia Paradisi.

Laudo & saluto te *ut supra.*

AD COMPLETORIVM.

LAudo te pijssime Jesu per Cor Tuum dulcissimum, in perseverantia illa laudabilissima, quâ Mater tua dulcissima in omnibus bonis & virtutibus, perseveravit usq; in finem. Et imitata est te tantâ diligentia opus

pus humanæ redemptionis peragentem, quòd etiam post obtentam amarissima morte veram hominis liberationem, necdum omisisti Corpus tuum incorruptibile humano more tradere sepulturæ; ut demonstrares nil tam omninò esse vile, quod pro salvatione hominis recusares.

Laudo & saluto te *ut supra*.

BONUM VESPER
Seu
Preces Vespertinæ.

Expleto Officio, ore, & corde fiant Orationes secretæ, & recordationes peccatorum cum gemitu, & lachrymis, & fletu sive suspirio, tunc agat gratias Deo. S. P. Benedictus in Ordine suo. Gratiarum Actio mire efficax ex S. Gertr: l. 2. c. 2. & c, 15.

AVe Salus & illuminatio animæ meæ, DEUS meus. Gratias Ti-

bi referat quidquid Cœli ambitus, terrarumq; circuitus, & abyssi complectitur profundum, pro universis beneficijs & miserationibus tuis, quæ mihi in corpore & anima contulisti. Quorum cum tantus sit numerus. quod nequaquam valeam respondere uno pro mille: hinc idipsum illi æternæ, immensæ & in commutabili gratitudini committo, quâ Tibi, o fulgida semperq; tranquilla Trinitas, ex Te ipsa per te ipsam & in te ipsa omne debitum plenè suppletur. Et huic me quasi pulvis exiguus ingerens, per eum qui in substantia mea tibi assistit, offero Tibi laudes & gratiarum actiones, quales dedisti nobis posse per eundem in Spiritu Sancto. Amen.

Hinc examina Conscientiã tuã.

DIscute & examina Conscientiam tuam à momento quo evigilasti, usq; in præsentem horam. quas primas cogitationes admiseris, quam alacriter surrexeris, quam ferventer de-

votiones, horas Canonicas persolveris, quomodo te gesseris in templo, Oratorio, Refectorio, in cella, in negotijs, studiis colloquijs, in refectione corporis, in conversatione, in mortificatione passionum, in resistentia tentationum, in omissione bonorum operum, in exercitio virtutum, in custodia sensuum, in observantia præceptorum, & votorum, in fuga & remedijs peccatorum.

ACTVS CONTRITIONIS

S. Gertr: l. 2. c. 18.

IN amaritudine Passionis JESV Christi Filij Tui, amantissime Pater; moveo querimoniam, vehementer me accusans, quod hodie tam infideliter tibi servierim, teq; benignissimum Patrem, tot & tantis negligentijs & peccatis offenderim: de quibus ex intimo corde dolens, in spiritu humilitatis & in animo contrito percutio pectus meum dicens: DEVS propitius esto mihi peccatori.

Et pro universis negligentijs meis, quibus suavifluum Spiritum tuum in me extinxi, offero tibi pœnas & lachrymas dilecti Filij tui. Et peto in unione efficacissimæ Orationis Ejusdē in virtute Spiritus Sancti, omnium peccatorum meorum veniam, defectumq; meorum abolitionem. Quod mihi præstare digneris per amorem illum quô ferebaris cum Tuæ Paternæ delitiæ, Amantissimus Unicus, cum sceleratis reputaretur. Amen.

B. Mechtildi dixit Christus, quod in dies pro suis peccatis tertio oraret. Psal: *Laudate Dominum omnes Gentes.*

Commendatio ad Cor JESU.

O Cor JESU dulcissimum, Tibi commendo hac nocte cor & corpus meum, ut in Te dulciter requiescam, Et quoniam ego jam obdormiturus DEUM laudare nequeo, Tu illud pro me supplere digneris, ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit tot laudes

SS. Tri-

SS. Trinitati pro me persolvas, omnemq; halitum, quem spiravero, in Te susçeptum, eidem tanquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen.

Ad B. VIRGINEM.

IN Tuam Maternam fidelitatem, ac singularem custodiam, commendo me hac nocte, ô Beatissima Virgo MARIA, rogans ut me ab insidijs inimici tuearis. O dilectissime Angele Custos, ô vos SS. Patroni mei, hac nocte defendite, & incolumem servate me. Et pro me dormiente incessanter DEUM meum laudate: mihique Vestram benedictionem, quam humiliter peto conferre dignemini, Amen.

Intentio ante Somnum.

Quam Christus B. Gert: docuit l. 4. c. 13.

DOmine JESV, hunc somnum suscipiam in illo amore, quo Tu eundem sanctificâsti, cum in Tua SS. Humanitate consimili utereris, ad laudem DEI *Patris* & salutem toties

generis humani; orans ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus cælestibus, terrestribus, & purgandis. Amen.

AD S. JOSEPHUM.

SAncti JOSEPH cui quiescenti, in morte, jucunda somnia, & Angelicæ apparitiones sæpius contigerunt, effice tuo Patrocinio ut à me procul recedant immunda somnia & noctiū phantasmata, ut quotiescunq; per noctem evigilavero, invocem Jesum & Mariam festivus & incolumis expergiscar ad laudandum, & glorificandum Deum. Amen.

Decubiturus pollice scribe in fronte tuō has 4. Literas J. N. R. J. *interim dicens*

JESVS Nazarenus Rex Judæorum præservet me à subitanea mala morte.

Christus dixit S. Edmundo O. N. Quòd qui id fecerit, liberabitur à subitanea morte ista nocte.

JESVS

JESVS, MARIA, JOSEPH, Benedictus & Scholastica adsint nobis in vita Monastica: ne diabolus in vitia, sua nos trahat versutia, Amen.

S. Gertrudis dum quodam tempore dormire non posset hanc Orationem à Christo Domino didicit. l, 3. c, 25.

PEr tranquillissimam suavitatem, qua ab æterno in sinu DEI Patris accubuisti, & per amœnissimam pausationem in utero Virginis, qua novem mensibus quievisti, & per jucundissimam delectationem, qua unquam in amante aliqua anima dignatus es deliciari. Rogo te misericordissime DEVS ut non ad meum commodum, sed ad æternam laudem tuam mihi concedere digneris aliquam requiem qua lassatus membra corporis usui exercitationis restituantur. Amen.

Crucis ſeu Numiſmatis SSmi.

P. BENEDICTI.

Effectus.

Ob ſingularem ejus benedictionem, & efficax Patrocinium miſericordiæ Divinæ frequenter comprobavit ſequentes.

1. Expellit ab humanis corporibus maleficia, ligaturas, omneq; opus diaboli.
2. Prohibet omnem acceſſum ſagis, ad eum locum in quo reponitur.
3. Animalibus veneficio, ac maleficio affectis præſens remedium exhibet,
4. In lacticinijs conficiendis alijſq; ſucceſſum per maleficia impeditum restituit,
5. Hominibus à dæmone infeſtatis ſecuritatem præſtat.

Deniq, omnes diaboli artes, & quaſcunq; aſtutias, & præcavet ſtruendas & ſtructas evertit, afflictis tentatis & prope modum deſperatis ſolatium & levemen præſtat.

Quinque Privilegia.
SS. P. BENEDICTO.
A Christo Domino vivæ vocis Oraculo concessa.

1. Quod Ordo suus stabit usq; ad finem mundi.
2. Quod in fine mundi pro Ecclesia Romana fidelissime stabit, & plurimos in fide confortabit.
3. Quod nullus in eo morietur nisi in statu salutis. & si male incipiet uivere & non desistet, vel confundetur, vel ab Ordine eijcietur, vel per se egredietur,
4. Quod omnis qui Ordinē suū persequetur, nisi resipiscat, vita sibi abbreviabitur, vel mala morte morietur.
5. Quod omnes qui Ordinem suū diligent, bonum finem habebūt.

Refert hoc Oraculum Pudentius, Sandovallus Arnoldus, Vion, Carolus Stengelius, Cornelius à Lapide, Benedictus Hefftenus & alij.

J. O. G. D.

alfresco

~~113. Wedebnikem od X. Szer-~~
~~pana Jozefa # 10. in ...~~
~~Rynskych 25 Cim... ...~~
~~...ten # 87. mar...~~
~~... u ...go # 19 ...~~
~~...tu~~

113. ~~Ala' Komorych wortnie~~
~~proy Mute # 8.~~

tuczyce Piwo
[illegible] z Kęgu [illegible]
[illegible] Mięgnia Zalyk
Ktorzy dalsą po 8 [illegible]
[illegible]
przyslanie [illegible] przed
[illegible] [illegible]

[illegible]
[illegible] [illegible]

Ojcze Pan Mamu ma pamięta
o Janie Wiśniewskim Kłoma
3 dni Panny z Żyta [illegible]
ej winni y [illegible]
[illegible] z [illegible]
Pak roku zwonila